
F. AMBROSII CATHARINI POLITI SENEN. ORD: PRAED: ARCHIEPISCOPI COMPSANI.

OPVSCVLVM De Cœlibatu,

Aduersus impium Erasmum:

Quòd nunc primùm in lucem profert,
CLEMENS Politus Nepos.







SENIS,
Apud Lucam Bonettum. M.D.LXXXI.
Cum licentia Superiorum.

ILLVSTRIS.^MO^ AC REVERENDIS.^MO^

Alphonſo Geſualdo,

S. R. E. Tit. S. Clementis Cardinali Ampliſs.

CLEMENS POLITVS SENEN. SAL.





IV multùmq; dubitaui, Cardinalis Ampliſs:, (quanquàm ne adhuc quidem ſatis habeo conſtitutum) quid mihi de libris faciendum eſſet, quos partim in Sacram Scripturam, partim de varijs quæſtionibus ad eam pertinentibus, Reuerendiſs: F. Ambroſius Catharinus Politus Patruus meus, nunquàm ſatis laudatæ memoriæ ſcriptos reliquit, qui nondum editi, nec numero pauci, nec (quantum doctiſs: homines iudicant) pondere leues, apud me aſſeruantur. Pulſabat animum meum quotidie, vt eos quàmprimum in lucem proferrem, chari amor ſanguinis, quo quiſq; facilè commo-

ueri solet, ad maiorum suorum Monumenta, atq; imagines palam proponendas & ostentandas. Qua in re, meæ inter omnes propinquos videbantur præcipuæ partes esse, quem ille peculiari amoris prærogatiua fuerat prosecutus, multisq; ac magnis beneficijs cumularat, atq; in puerili ætate orbatum Patre, filij loco alendum, optimisq; moribus ac disciplinis instituendum curarat; vt ingrati prope animi crimen mihi timendum esset, si præclaros illius labores in tenebris latere sinerem. Huc accedebat quæ me valde vrgeret atq; impelleret ratio publicæ vtilitatis: nam si cætera illius opera, quæ eo viuente sunt edita, vtilissima ac penè salutaria Reip: aduersus tot tantasq; huius miseræ ætatis hæreses fuisse, cum grauissimorum virorum testimonia, tum ipsorumet operum toties repetitæ editiones demonstrant, iure mihi sperare posse videbar, nihilominorem ex his vtilitatem esse prouenturam, quæ ab eodem inflammato orthodoxæ Religionis zelo, eademq; ingenij præstantia, longioribus etiam vigilijs, ac prouectiore, sapientioreq; ætate profecta essent. Contra verò ab incepto me deterrebat non modò sumptus, qui in editione esset faciendus, cui ego respondere non valeo, sed etiam temporum infelicitas, quibus omnia sunt obtrectatorum & calumniatorum plena. In hac mea diuturna hæsitatione, decreui tandem Opusculum de Cælibatu, quod ille vt mihi gratum faceret, aduersus impium Erasmum, vna ferè lucubratiuncula olim exaruit, in medium proferre, vt ex hoc saltem discam non magno periculo, quid de cæterò consilij capiam. Hunc verò tibi (P. Sapientiss.) Cælebs Cælibi de Cælibatu librum dicaui,

qui & rei meæ familiaris angustias tua munificentia aßiduè subleuas, & auctoritate adeo polles, vt facilè tibi futurum sit obtrectatorum ora comprimere. Postremo si tuorum locorum, tuorum etiam hominum fructus iure tibi debentur, cum Patruus meus in locis tuis, Patrisq; tui magni Viri, Compsæ Archiepiscopatum tenuerit, ibiq; floruerit, nil causæ quoq; est, quin tua sint illius omnia. Oro itaq; te per singularem istam humanitatem, ac benignitatem tuam, qua omnes homines ac me potißimùm complecti soles, vt exiguum hoc munus libenter accipias; quod si sensero tibi gratum fuisse, dabo operam, vt maiorum vigiliarum lucubrationes, ad Dei Opt. Max. laudem, ad Ecclesiæ vtilitatem, ad perpetuam Catharini memoriam, quandoque appareant. Vale. Kal. Mai. M.D.LXXXI.



INDEX PRAESENTIS OPVSCVLI, quàmuis non adeo neceſſarius, non inutilis tamen.

FINIS.



F. AMBROSII CATHARINI POLITI SENEN.

Ordin: Præd.

Archiepiſcopi Compſani.

DE COELIBATV.



VAM vera ſit illa Domini ſententia : Filij huius ſæculi, prudentiores filijs lucis in ſua generatione ſunt, cogimur cum luctu experiri. Inter iſtos autem ſæculi filios, illi ſunt maximè deteſtandi, qui non ſola ſui perditione contenti, in hanc curam toti incumbunt, quò alios ſecum in barathrum ſempiternæ damnationis præcipites dedant. Vnus fuit ſemper nominatus præcipuus Eraſmus, qui poſt nefariam & ſacrilegam, à votis euangelicis apoſtaſiam; nullum ar- Luc. 16. b.

tificij genus prætermisit, quo omnes posset, maximè teneros animos, à vera pietate auertere: idq; ea aliquando vafritia, vt cum locum lætaliter exulceret, leuiter & quasi ludens, ac se se exercens videatur attingere. Colloquiorum libri, testes nobis sunt nimium manifesti. Quid colloquia cito? Imo verò, quicquid ille euomuit, vel ad obscurandum fidei catholicæ lucē; vel ad corrumpendum christianos mores, inserendumq; atheismum videtur meditatus. Sed ego quidem confido in Domino, qui aliquando prouidebit, vt quam auidißimè & ambitiosißimè sibi comparare studebat gloriam, nedum non assequatur, sed pro gloria ignominiam sempiternam sit reportaturus. Hæc præfatus sum, vt qua occasione subiectam hic lucubratiunculam confecerim, catholicus lector intelligat.

1. Tim. 5. b. Scribit Apostolus. Qui suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior. Relicti mihi quidam ex defunctis fratribus paruuli nepotes fuerūt, quos omnes (imagines fratrum meorum) salutaribus disciplinis erudiri desiderans, Vnum tamē præcipuè, cui nomen Clemens est, quacunq; mihi ratione ac diligentia instituendum suscepi. Is autem cum apud me omnibus artibus, quibus illa ætas informari solet imbueretur, semel deprehensus est à me, librum præ manibus habere

inſcriptũ [Eraſmus de conſcribendis epiſtolis.] qui tum paſsim ab omnibus legebatur. Aperui, in epiſtolam incidi, quæ primis argumentis mirificè cœlibatum extollit: At protinus ad eundem funditus extirpandum, nuptias autem eſſe amplexandas, tanta perſuaſionum exemplorum, ſimilitudinum farragine contendit, vt nec vites nec virgulta prætermiſerit. Itaq; hominis ad iuuentutis perniciem nati calliditatem, hac in parte detegendam curaui, ac ipſius iuuentutis miſeratus, refellere apoſtatæ malignitatẽ operæ prætium duxi. Quoniam verò indignus videtur, qui proprio nomine exprimatur, ſub vocabulis Coſmophili, ideſt, amatoris mundi; & Aporetici, hoc eſt, dubitatoris, viſum eſt præſens argumentum in hunc modum proſequi.



T legi epiſtolam, à Coſmophilo ad te miſſam, Aporetice, qua te ab optione ſanctiſsimi cœlibatus abducere, & ad dura matrimonij vincula conatur multis argumẽtis pertrahere, eouſq; vehementer in tui gratiam commotus ſum, vt continuò ſubierit animus ad te ſcribere, vt ſi forte res tibi eſt adhuc integra, ſuiſq; ille verbis ſcrupulum duntaxat, uel dubitationem aliquam animo tuo iniecerit, illam procul abs te valeas per ea quæ ſcripſero facilè

amouere. Ac licet metuam tibi ab hominis calliditate, arte, & nonnulla qua præstat eloquij facilitate; illud tamen præ cæteris me conturbat, quòd subdolus ille, non spiritus, sed carnis partes defendendas fouendasq; susceperit, in quas iam nimium natura ipsa, ut latissimè patet, procliuiores omnes sumus. Verùm aduersus prudentiam tuam diuino fauore munitam, nullo pacto præualebunt illius captiosi rhetorculi præstigia & inanes fuci, nec illa dicendi procacitas, quæ te à multo saniore uitæ perfectioris consilio, quod iam ante cœperas, ad carnis saturandam lasciuiam abducere possint. Ego enim, & si nequaquam illa facultate dicendi fretus, (quippe qui nunquã eiusmodi studijs scrupulosius operam dederim, at ipse contrà, ferè in omni uita, cum postrema sit iam ætate prouectus, nihil aliud meditatus fuerit) sola tamen luce & fulgore ueritatis instructus id efficiam, ut cognoscas quàm parum prosit omnis ars, atq; omne ingenium, ad obscurandum quæ sunt christianæ religionis, & fidei sanctiora & perfectiora ornamenta. Tuum igitur nunc erit, diuino primùm implorato auxilio, quæ ab illo obiecta, & quæ à me responsa sunt, diligenter colligere, & inuicem conferre; quatenus quid potius in rem tuam promoueat & conducat, certò ualeas iudicare.

PRimum igitur quod ille præmittit, memorans illam ab initio affinitatem, qua tecum iungitur, & cũ affinitate amicitiam quoq; annexam prope ab incunabulis, quæ vnà cũ ætate creuit: & officia quæ abs te in eum collata, mutuam gratiam reposcunt, & his necessitudinibus se coactum, quæ ad salutem tuã tuorumq; dignitatem facerent, tuã prudentiam admonendi: quoniam aliena, inquit, nonnunquam rectius, quàm nostra perspicimus: hæc inquam, & quæ huiusmodi sunt, mera arte cõposita, prudenter cogitãti satis indicant, quàm duram illum sumpsisse prouinciam prodant, quàmq; in loco difficili versaretur, postquam hosce fucos, ad persuadendum præmittere opus fuerit. Ego verò quò meum erga te affectum, hac parte cũ illius valeas conferre, non me tibi tanquam affinem vel propinquum, vel ciuilem amicum, cum te nunquam vel de facie cõnspexerim, sed vt christianum, non ex proprijs, sed ex charitatis visceribus loquentem, insinuo. Perpende igitur imprimis, quàm tibi suspectus eius sermo esse debeat, cum vt propinquus tibi carne loquatur, anxiè quærens quæ sua sunt, & suadens quæ placeant carni: & tibi ab illo caueas, qui hisce prætextibus mouetur, & apertè se moueri fatetur: munias autem te hac parte verbo Domini, qui ait: Inimici hominis domestici eius. Ac contra Matt. 10. d. 1. Tim. 4 c.

prouide, vt sermo meus, fide & omni acceptione sit apud te dignus: quoniam de mera charitate exprimitur, quæ non agit perperam, nō quæ-
1.Cor. 13.d. rit quæ sua sunt, congaudet autem veritati. Dicat ergo cum suo Terentio Cosmophilus: Humani nihil à me alienum puto, & concedimus ei: modo & permittat me dicere, Christiani nihil à me alienum puto; sicq; illum audias tanquam hominem & carne tibi coniunctum: me autem solummodo vt christianū, qui nullo tecum alio vinculo astringor, quàm regenerationis Euangelicæ confederatione. Iam igitur attende.

Ante omnia (fingit ille) Antoniū nescio quē tristem nuncium, in conuiuio certiorem illum fecisse, matrem tuam defunctam, sororem choro virginum aggregatam, amicos magno consensu tibi puellam summo genere natam, forma præstanti, optimè moratam, postremo tui amātissimam summa cum dote obtulisse. Te verò, nescio qua seu doloris impotentia, seu religione, ita cœlibatum decreuisse, ut nec generis studio, nec sobolis amore, nec amicorum vllis aut monitis, aut præcibus aut lachrymis, à sentētia abduci possis. Sic ex illius narratione se habet propositum, ita ut etiam religionis gratia optatam cœlibatus conditionem, velit matrimonio cedere, hic affinis ac beniuolus tuus. Vnde ait.

Tu tamen vel me authore mentē istam muta-

bis,& cœlibatu relicto ſterili,ac parum humanæ vitæ inſtituto inſeruiēti,ſanctiſsimo coniugio indulgebis. Qua in re,neq; tuorū charitatem,quæ tamen alioquin animum tuum vincere debebat: neq; meam authoritatē, quicquā mihi prodeſſe cupio, niſi clariſsimis rationibus oſtēdero,id fore tibi lōgè tum honeſtius,tum vtilius,tum iucūdius: quid,quod etiā hoc tempore neceſſarium?

Hactenus pollicitatio grandis, & ante cauſæ inſtructionem prolata ſentētia. Vt enim vituperet,vocat cœlibatum ſterile, & inſtitutum parū humanū,uera dicens inuitus; diuinum enim inſtitutum eſt & non hnmanum cœlibatus: & ſterilis quidē carni, ſed fructuoſus ſpiritui: quibus quidē uerbis ſibi ipſi miſer atq; improuidus præiudicat. Verū, quia in aliū ſenſū dictū accipit,deſcēdamus in medias res, & cominus cōgrediamur. Primùm uolens ab honeſto ſuadere, ſic ſcribit.

☞ Quid matrimonio honeſtius? quod ipſe Chriſtus honeſtauit,qui nuptijs unà cū matre non ſolùm intereſſe dignatus eſt,uerùm etiam nuptiale conuiuium miraculorum primitijs conſecrauit? Ioa. 2. a.

Hæc ille adeo uerſutè, ut ſi nobis deeſſent ad argumentandum loci, uel ab ipſo ſuppeterent. Nos enim longè uerius poſſumus dicere; Quid cœlibatu honeſtius? Quid item optabilius, quē Dominus IESVS, non ſolum honeſtauit in alijs, uerùm etiam ſua optione in ſemetipſum

confecrauit? clarissimè, & efficacissimè indicās, utrum præstantius, qui spreto coniugio, cœlibem amplexus & professus est uitam. Quis enim sapiens id per se optet, quod deterius esse nouerit? Nisi forte Cosmophilus, cuius subdolam eloquentiam si forte admiraris, sapientiam certè non potes. Ipse enim, etsi tantopere coniugium cœlibatui præferat, & ad hoc te adeo uehementer hortetur, aliud tamen uitæ genus sub cœlibatu ipse elegit: certè nomine saltem & fama agamos fuit, cætera coniectare facilè potes. Neq; est opus ut ego hominem accusem, ipse penitus sese prodit. Mihi id obtinere satis est, indignum esse hominem cui credas, qui quod uerbo laudat, facto ipso non probat.

Verùm ad rem. Honorauit proculdubio Christus sua præsentia matrimonium, non quasi rem multo honore dignam efferret, sed ut rem licitam, & propagationi & incontinentiæ plurimorum necessariam defenderet; ne quis postmodo improbare auderet, quod tamen ausi sūt nonnulli hæretici. Nam quæ putamus, ait Apo-
1. Cor. 12. c stolus, ignobiliora esse corporis membra, his honorem abundantiorem circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honorem habent: honesta autem nostra nullius egent. Voluit ergo sua præsentia Dominus matrimonium confirmare, propter necessitatem, & pro-

pter

pter hypocritas, qui illud erant reprobaturi: cœlibatum uerò, uelut uitæ ſtatum puriſsimum, & ſanctiſsimum, etiam in ſemetipſo conſecrare. Quòd uero Dominus etiam miraculo nuptias conſecrauit, id eſt, quod dixi, Indigebant eo fauore nuptiæ. Cœlibatum autem nō oportebat confirmare miraculo, cum ipſemet cœlibatus nihil aliud ſit, niſi miraculum: ſiquidem humanas ſuperat uires, animal in carne exiſtens, furentem illam, atq; immanem ſuæ carnis libidinem ſuperare. In carne enim præter carnem uiuere, non humanum eſt, ſed angelicum. D. Hieron. in ſerm. ad Paulam & Euſto. de Aſſumptione B. Mariæ.

Pergit uerſutus rhetor, & ait; Quid matrimonio ſanctius, quod ipſe rerū parens inſtituit? Subolfacis quàm futile argumentum? Quid eſt enim, quod non iſtituit Dominus? Ergo de quolibet, quod iſtituit, licebit idem dicere, Quid eo ſanctius? Inſtituit enim regnum ſæculare, cū omnis poteſtas ſit a Deo. Inſtituit & ſacerdotale, ac ſpirituale. Dicet ergo Coſmophilus: Quid ſanctius regno ſæculari, cum ipſum inſtituerit Dominus. Sed deprehenditur uiri impietas, qui, ut uires indat huic argutiæ, perinde ratiocinatur hic magiſter acutus, ac ſi ſolum matrimonium, non autem ipſum cœlibatum Dominus inſtituiſſet. Nam id, quod expreſsè non audet, ſubtacitè innuit, ne ut impius ab omnibus exploderetur. Rom. 12. Exod. 19. a. 1. Pet. 2. b.

Postquam autẽ pro matrimonio dixit, quòd illud rerum ipse parens instituit, adiecit tãquam amplificans: Et quod natura sanxit: quasi sit maius naturam illud sanxisse, quàm naturæ parentem Deum, ac Dominum (quod iam proposuerat) instituisse, adeo circumspectus est rhetor. Nota vero, quæso te, vim argumenti admirandam hoc in fundamẽto stabilitam. Coniugium est naturale; ergo nihil eo sanctius. At si vis in eo argumento tanta inest, colligere quoq; licebit: Sic & comedere, & bibere, & alia quædam naturæ officia explere, quæ suo nomine, propter aurium honorem non memorantur, venerabilem, ac reuerendam sanctimoniam, authore Cosmophilo, sibi vendicabunt. An non potius & verius docemus, quòd supra naturam hominis est, præclarius haberi debere, quale est cœlibatus? Nam cum simus natura animales, ac proinde in multis conueniamus cum belluis, certè quatenus naturale est coniugium, idest, illa maris, & feminæ coniugatio, nos homines ipsis belluis æquat. Quid ergo habet præstantiæ, si id solùm, quod est naturæ cõsideretur in matrimonio, si ea in parte cum pecoribus conuenimus? Nonne præstantior omnino cœlibatus, in quo cum Angelis Dei sociamur? Sed Cosmophilus de Angelis nihil curat, qui naturam à gratia superari, vel non agnoscit, vel potius dignoscere fugit.

Pergit, Quid laudabilius, quod qui reprehendit, hæreſeos damnetur. Aduerte quàm iterum inconſideratè loquatur. Primum ita arguit, quaſi qui cœlibatum reprehendit, non etiã & longè ſeuerius damnetur hæreſeos. & audi quid inde in matrimonij laudem inferat. Tam eſt, inquit, honorificum matrimonium, quàm infame vocabulum hæretici. Mira argumenti energia, quo ſimul (ne quod grauius in illum retorqueatur argumentum) concluditur, honorificum valde eſſe de porcina carne cómedere, & anguilla: quoniam hæreticum eſt pariter hos damnare cibos, non minus quàm matrimonium. Quare ſimiliter inferri poteſt, tam honorificum eſſe porcum, & anguillam, adde ſi vis & ranas, & teſtudines, & alia huiuſmodi comedere, quam eſt infame vocabulum hæretici. Eia quis puerorum non admiretur tam exquiſitum tanti viri acumen & copiam?

Pergit: Quid æquius, quàm id reddere poſteris, quod nos à maioribus accepimus? Argutè ſatis, ſed fac prius iſtos poſteros exiſtere, tunc ipſi iure querentur, ſi eis nõ reddiderimus, quod à maioribus accepimus. Cœlibatu enim nihil poſteris adimimus, cum nec ſint, quibus quicquã ex illius obligatione debere poſsimus. Idem habet vitium, quod ſubdit: Quid ingratius, quã id negare minoribus, quod ipſe niſi à maioribus

accepisses, ne esses quidem qui negare posses? Argutula hæc crassioribus ingenijs videri possent, sed eandem continent manifestam deceptionem. Nihil enim debiti ijs negari potest, qui non sunt, nec ex cœlibatu originem trahere possunt.

Pergit à locis communibus vrgens: Quid inhumanius, quàm hominem ab humanæ conditionis legibus abhorrere? Quàm facile est araneis, exiles suis telis capere muscas, tam frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, teste scriptura. Istud semper hæreticorum fuit propriũ, distinctiones fugere, omnia permiscere, & confusè loqui. Sic iste purioris vitæ osor, nullum à tempore tempus, nullam à lege legem, ab ætate ætatem, statum à statu, propria cuiusq; distinctione seiungens, totam Euangelij perfectionem obscurat: quid dico obscurat? immo funditus tollit. Quis, quæso, vitam cœlibem eligentium, professus est vnquam se ab humanæ conditionis legibus abhorrere? Qui argentum pro plumbo, aurum pro argento, iustè sibi thesaurizzare potest, non ab minoribus abhorret, sed pretiosiora anteponit, non inuitus, sed volens & prudens. Cur non tibi Aporetice, iam sic affecto proponebat tuus iste seductor Cosmophilus, Apostolum Paulum non ab humanæ cõditionis legibus abhorrentem, sed saluberrimum consilium sic

Prou. 1. b.

dantem? De virginibus autem, inquies, præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonũ est homini sic esse. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaq; dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam nõ possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tãquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem uestram dico, non vt laqueum vobis inijciam; sed ad id, quod honestum est, & facultatem præbeat sine impedimento Dominum

1. Cor. 7. d.

obſecrandi. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, ſi nubat. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuã, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuã, bene facit; & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit; quòd ſi dormierit uir eius, liberata eſt à lege: cui autem uult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſiliũ. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.

Hæc ex Apoſtolo integra duxi neceſſariò híc in tui gratiam inſerenda, quibus angelicum pectus ab apoſtatica Coſmophili iſtius mente clarè poſsis diſcernere, ac ſimul hominis impoſturam execrari, qui tanto conatu ad nuptiarum uincula te cœlibatu repudiato ſatagit pertrahere. Nec diſsimulare poteſt veterator, hanc ſibi fuiſſe ignotam Apoſtoli doctrinam, cum totum teſtamentum nouum ſexies traduxerit, ſeu uerius deprauauerit. Tecum igitur hic conferas (ſi tamen conferre fas eſt) Apoſtoli Pauli, & apoſtatæ Coſmophili de nuptijs, & cœlibatu cõſilia, ac uide quàm parcè ille nuptias non dicò damnet (iſtud enim hæreticum eſſet) ſed com-

mendet. Si acceperis, inquit, uxorem, non peccasti. At quid inde solatij percipietur? Ecce: Tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Perpende cætera ad matrimonium spectantia, & ubiq; deprehendes, coniugio suã mox coniunctam seruitutem. E conuersò autem optabilissimũ cœlibatus statum, tãtis præconijs extollit, ut pro rei dignitate quasi sibi satisfacere nõ posse uideatur. Nam primo testatur se infidelem fore, si ad hoc uitæ præstantissimum genus non adhortaretur, tanquam misericordiam etiam ad hoc consilium dandum, à Domino consecutum, idq; propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Audis diuersa consilia? Apostolus docet bonum esse: Cosmophilus uerò, omnibus eloquentiolæ suæ uiribus nititur oppositum suadere. Subiungit Apostolus: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Cosmophilus contra: Vxorem quære, cœlibatum relinque. Confer tecum reliqua, & facilè concludes, eam esse Apostoli doctrinam, ut te totum Deo redemptori tuo reddat, & ita consecret, ut sine sollicitudine non diuisus, sed corpore & spiritu sanctus, quæ Dei sunt, cogites. Cosmophilus uerò, ac si in diebus Noe esses, & non sub perfectione Euangelij, & fine huius mũdi, urget ut nubas, tribulationem carnis eligas, sis sollicitus, diuisus, uxori seruias, facultatem

non habeas Dominum sine impedimento obsecrandi. Sentis ne, Aporetice, hostiles sub beneuolentiæ prætextu tibi strui insidias? Recognoscis ab animali homine, nō sapiente quæ Dei sunt, tibi non datum consiliū, sed uenenum propinatum? Venenum dico, tibi sic à sancto spiritu ad cœlibem uitam excitato propinatum, ne calumnietur me nuptijs iniquiorem. Conatur enim te à cœlesti uitæ genere, ad opera nuptiarū auertere. At nos, ut istis suum honorem minime adimimus: sic nostri cœlibatus statum, longe ex Apostoli, & ipsius Domini doctrina præferimus. Vnde hic concluditur. Qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit melius facit: & statim de uidua, Beatior autem erit, inquit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Audi uerò, quomodo rem tantam confirmet, Puto autem quòd & ego spiritū Dei habeam. Itaq; cùm aliam Cosmophilus afferat doctrinā, simul aperte prodit, sibi alium adesse spiritum, non apostolicum, sed apostaticum: non cælestem, sed terrenum, & carnalem.

Habes igitur, Aporetice, detectam hypocritæ fraudem, qui te à sancto proposito deterrere studebat, quasi ab humanæ legis conditionibus abhorreres, si uitam cœlibem coniugio anteponeres. Neq; enim est eousq; stupidus, ut nesciat, sed ut decipiat, se scire dissimulat, multa esse di-

uinæ

uinæ legis, quæ humanam proculdubio, & intelligentiam superant, & facultatem. Nec iam est ulterius indecens, imo plurimum, & omnino decens; ut cum in conditionem diuinæ naturæ euecti simus, ea, quæ sunt humanæ conditionis, alia quoq; uita, & perfectioribus moribus excedamus. Quis iustè quempiam uituperet, qui puerilis immemor conditionis, uiri maturi expleat officia? Audi Doctorem gentium, Cum essem paruulus, loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus. Quando autem factus sum uir, euacuaui, quæ erant paruuli. Sed non meminit Cosmophilus eiusdem Apostoli, qui uituperans quospiam, illud ut probrum obiecit: Nonne homines estis? Et alibi humana uitia narrans, eaq; quodammodo ab imbecillitate excusãs, ueniam præfatur, quasi dicens: Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Atqui iste Cosmophilus tãtam sibi authoritatem arrogat, ut, quod Apostolus deprimit, ipse audacter extollere non uereatur.

1. Cor 13.

1. Cor. 3. a.

Rom. 6. d.

Pergit, & enarrat matrimonij primæuam institutionem, quam non Licurgus, non Moses, non Solon, sed Dominus instituit. Nam, cum hominem è limo finxisset, miseram prorsus, & inamœnã eius uitam fore intellexit, nisi sociam Euam adiungeret. Tum enarrat, quomodo de costa uiri educta fuit, ut coniugij uinculum inso-

Gen. 2. b.

Ibidem. d.

lubile significaretur. Deniq; quòd eius præceptum continuò audierunt: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quo in loco exultat, & sibi triumphū canit Cosmophilus, aiens; Quid parentum pietate sanctius? At huic tamen coniugalis præfertur fides. Deseritur pater, deseritur mater, & adhæretur vxori. Filius emancipatus incipit esse sui iuris. Filius abdicatus desinit esse filius: At sola mors dirimit coniugium; si tamen illa dirimit.

Hæc sunt Cosmophili robustissima argumēta, quibus iuxta præscriptam sibi prouinciam, cum depressione cœlibatus, coniugium efferat. Age verò, videamus paulò accuratius, quid valeant, & quàm robustè concludant. Multa enim frustra congerit, quatenus ostendat, magnum esse illud coniugij nexum. At ea in re cum nemine pugnat. Quis enim christianus hoc vnquā negauit? Imo quis magis hoc docet, & seruat? Ipse Christus hoc præ Mose,& cunctis legum la toribus nos docuit. Quòd verò Cosmophilus dubitat, an hunc nexum dirimat mors, dicens: Si tamen dirimit mors, viri est planè indocti. Si enim mors non dirimeret, quo pacto liceret, superstiti coniugi cum altero copulari? Verùm hic est quoq; vetus rhetorum mos, multa per hyperbolem iactare, quæ tamen prudentem auditorem non fallunt. Fuisse autem præceptum

primis illis hominibus vt coniungerentur, non inficiamur. Oportebat enim tunc, scz, ab initio creationis mundi, genus humanum crescere, & implere terram. Quid autem inde, sub mundi senectutem inferre vult hic male pius Cosmophilus? num fortè quòd illud præceptum sic ad singulos hominum extendatur, vt cœlibatum de medio tollat? Si hoc ait, ne dum iuris, & legum imperitum, sed simul se ipsum prodit hæreticum. Verba enim ipsa declarant, quid eo præcepto intenderit Dominus, ucz, impleri terram. Vnde nec ab re post diluuium iam deletis cunctis populis, ad eundem finem est idem repetitum. At repleta terra, multiplicatis populis plus satis, datus est cœlibatui locus: vt, ne dum per cœlibatum non soluatur præceptum illud, sed pro sacrificio pleno suauissimi odoris à Domino accipiatur.

Genes i. d.

Genes 9. a.

Quòd verò ad matrimonii præstantiam extollendam, obrui etiam pietatem, quæ patri debetur, qua nihil est sanctius, pari inscitia iactat, quòd dictum fuit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c. hominis similiter imperitiæ ascribamus. Non enim illis verbis aliud enunciatur, nisi quòd conuersatio, & conuictus cum vxore, antefertur conuictui, & conuersationi cum patre, & matre, idq; optima ratione. Nam & ipse filius iam maritus, pater familiàs es-

Gen. 2. d.

ficitur; nec tamē à potestate patris ob hoc emit titur; nec ab officijs, quæ erga patrem pietas à filio deposcit, liberatur. Quod item addit, filium emancipatum sui iuris incipere fieri, falsũ est absoluta consideratione, nisi de ea potestate intelligat, quæ iuris est ciuilis, non naturalis. Illa enim potestas, quæ iuris naturalis est, emanci patione non tollitur. Falsum est & aliud, quòd valde imperitè ait: Filius abdicatus desinit esse filius, nisi de filio, quem sola creauit adoptio, intelligat. Itaq; iam, Aporetice, vides quàm passim, & quàm perniciosè ratiocinando aberret: & hic est, qui solis rationibus fidere se iactabat, vt mutares sententiam.

Pergit, Iam si cætera sacramenta, quibus Ecclesia Christi potissimum nititur, religiosa quadam veneratione colantur, quis non videt huic plurimum religionis deberi, quod & à Deo, & primùm omnium est institutum? & cætera quidem in terris, hoc in paradiso: cætera ad remedium, hoc ad consortium felicitatis: cætera naturæ collapsæ sunt adhibita, illud conditæ datum est.

Hæc ad literam Cosmophili sunt, nec alterius quidem esse poterant, quàm Cosmophili. Vult enim huic matrimonij sacramento plurimum religionis, ac venerationis deberi præ cæteris. Sacrosanctum ergo Eucharistiæ sacra-

mentum, quo nullum poteſt excogitari excellẽtius, hac parte ſuperabit coniugij ſtatus, vt magis ſit colendus ac venerandus? O impiam procacitatem. Sed exigamus ab eo tantarum prærogatiuarum rationes. Cur, quæſo, tantus matrimonij honor, o Coſmophile, præ cæteris ſacramentis? Ait, quòd & à Deo inſtitutum eſt, & primùm omnium. Quis non miretur rhetorculi eouſq; ſubtilis, & acuti argumentũ? Quod ait, à Deo inſtitutum, quaſi verò cætera ſacramenta non ſint à Deo, ſed ab aliquo alio inferiore authore inſtituta. At quis, rogo, niſi ſolus Deus poteſtatem habuit ſacramenta inſtituendi? Sed, inquit, primùm omnium fuit matrimoniũ. Quid mirum? cum alia tunc neceſſaria non eſsẽt, imo nec eſſe poterant? Oportebat enim primo generari homines, quibus & à quibus miniſtrarentur ipſa ſacramenta. Præterea, quid hæc prioritas temporis confert ad dignitatem maiorem? Alioqui, ſi quid dignitatis haberet, dignior eſſet circuncíſio, quàm baptiſmus: lex Moſeos, quàm Euangelica: beſtiæ, quam homo: terra, quàm animalia, quæ omnia ſtatus Euangelici inſtitutionem præceſſerunt: quin etiam præſens vita, eſſet futura & ſempiterna dignior, cum hanc illa ſubſequatur. Dicam amplius ad patefaciendam Coſmophili huius blaſphemiã: imo primus homo Adam de terra terrenus, ſe-

cundo homine Christo de cœlesti cœlo deberet æstimari dignior, & in vniuersum vmbris & figuris, cedere deberent rerum ipsarum veritates. Perpendis, quibus se laqueis suffocat miser?
Genes. j. Prius creatæ sunt à Deo bestiæ, quàm homo: essent ergo digniores ipso homine. Sed à loco argumentatur. Illud in paradiso, inquit, institutum fuit, cætera in terris. Quid hoc item ad rei præstantiam, imo quid non ad suadentis damnationem? Nam & Eua in paradiso creata est, non autem Adam.
Genes. 2. b. & c. Nunquid ergo ipsa viro suo præstantior, qui in terra nostra creatus fuit?
Luc. j c. & 2. a Matth. 1. a. Christus item Deus noster & Dominus, non in paradiso, sed in his terris, & exiguis oppidulis & conceptus, & natus est. Quis igitur, nisi blasphemus, dicere audeat, illius maiestatem inde fuisse imminutam? Quòd si de paradiso sit contentio, certe in vero & cœlesti paradiso, vbi nuptiæ erũt extinctæ, ibi cœlibatus florebit in perpetuas æternitates. Ac licet in illo terrestri paradiso matrimonium sit institutum, nullum tamen matrimonij opus fuit ibi cõsummatum: sed post eiectionem (quod suo non vacat mysterio)
Gen. 4 a. cognouit Adam, inquit Scriptura, vxorem suã. Eat nunc Cosmophilus, & celebret, & extollat à loco nuptias, quæ in paradiso Dei cœlesti silebunt, vbi cum Agno immaculato cœlibatus, & alterius generis spirituales nuptiæ, quas nescit

Cosmophilus, nec scire potest, in sæculis sempiternis vigebunt.

Quod autem subdit: Cætera ad remedium, hoc ad consortium felicitatis: et, cætera naturæ collapsæ sunt adhibita: illud conditæ datum est, falsam continet omnino doctrinam. Nam hoc matrimonij sacramentum, quod nunc est, & si ad consortium primitus datum est, ad remedium pariter nunc datum esse, oportet necessariò confiteri. Audi Apostolum: Propter fornicationem, inquit, vnusquisq; suam vxorem habeat; 1. Cor. 7. a.
& non ait: Propter felicitatis consortium, quòd per præuaricationem primæuam illa felicitate spoliatum est. Quapropter matrimonium, de quo est sermo, post peccatum considerari necesse vt instauratum per Christum, & quod naturæ collapsæ conuenit, non autem incorruptæ, quando libido non inerat, cuius rei gratia etiam sanctius erat. Missa facio quædã alia, quæ subiecit, commodius alteri loco discutienda, vt quæ maximè nostræ causæ astipulantur.

Illud omnino in re tam seria ridiculum, quòd ad suadendam præcelsam matrimonij dignitatẽ inducit, ucz, quòd in illo elegantissimè figurata est illa excellentissima humanæ naturæ cum diuina coniunctio, vt sit sponsus Dominus, & Ecclesia sponsa. Nam si rerum dignitas, cum quid sublime per eas significatur, ab earum significa-

Num. 21. b. tione deprehenditur, felix igitur ac beatus ille serpens æneus, quem Moses in deserto extulit;
Num. 20. b. & illa petra beata, de qua fluxerunt aquæ: quoniam hæc significabant Christum. Felix item,
2. Reg 11. a. ac beatum adulterium, quod Dauid patrauit cũ Bethsabee: Nam & per illud, insignes Theologi docuerũt Christi copulam cum Ecclesia figuratam. Et quot alijs infimis animalibus & rebus, sunt altissima significata mysteria? Sed hæ sunt in mala causa Cosmophili argumentationes.

Pergit tamen, & ait. Honorandum connu-
Heb. 13. a. bium, & torus immaculatus prædicatur ab Apostolo: cœlibatus hic ne nominatur quidem, nec excusatur, quidem nisi compensatione maioris boni.

Perspicis & hic, quàm vltrò se iste suo cultro iugulat? At hoc, quæso, non est plusquàm excusare? Etenim si maius bonũ è cœlibatu, quàm de matrimonio elicitur, quæ exoptari potest maior compensatio? quæ persuasionis maior ratio ad cœlibatum coniugio præferendum? Vide quàm stupidus argumentator, qui ea spicula in nos iaciat, quæ in suũ authorem reiecta, eundem penitus confodiant? Nos enim nõ ab aliud, matrimonio cœlibatum præferimus, nisi quia istius maiore, bono bonum matrimonij compensatur. Quod autem addit, ucz, eum, qui naturæ legem

legem secutus det operam liberis, præferēdum esse illi, qui in cœlibatu perseuerat, nō ob aliud nisi, vt sibi liberius viuat, nemo catholicorum negat. At nos neminem ad cœlibatum ea solùm gratia cohortamur, vt liberius quisque sibi & otiosus, sed Deo fructuosius viuat, ex meliore illius electionis parte, quæ nunquam auferetur. Dominus enim ipse est, non mundus, qui dixit: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnū Dei. Propter regnum Dei, inquit, non ut sibi liberius viuant. Si tu igitur huius regni gratia hoc vitæ genus assumas, teq; Deo totum dedices, quid habet Cosmophilus, quod contra mutiat; nisi apertè fateatur, se nullum Dei regnum futurum credere, à quo mentem tuam tanta anxietate nititur auertere? Matt. 19. b.

Deinceps à legibus hominum incipit suā causam instruere. Lex Mosaica, ait, sterile execratur coniugium, eius rei gratia quosdam voluit à communibus curis esse summotos. Vnde & inter benedictiones annumeratur fæcunditas, quæ & laudatur in psalmis. Romanæ item leges coniuges ab oneribus immunes ob filiorum numerositatem reddebant. Extabant & aduersus cœlibes Cæsarum constitutiones, quas tamen, inquit, in fauorem Christianæ religionis Constantinus temperauit. Gen 49. e. Deut. 28. a. Psal. 127. C. Qui num. lib. se excu. C. De infir. pœn. cœlib.

Hæc & alia nuptiarum priuilegia nobis obij-

cit, quibus causam matrimonij præ cœlibatu faciat commendabiliorem. Animaduertis, quàm esse pergat sui semper similis? Ecce nobiscum agit homo christianus, legum paganarum authoritate: quasi vero non sint, si quid contra cœlibatum sanxerunt, diuino iure abrogatæ. Ac nihilosecius, vt inscitiam rhetorculi cõtinuò perspicias, nec leges illæ in cœlibatum nostrum quicquam statuerunt. Alterius quippe generis ille infidelium cœlibatus erat, contra quem ferebantur, qui non propter regnum Dei, sed ad falsam superstitionem obseruabatur. Illud verò nonne prorsus hominis stupidi, illas scilicet leges pro se adducere, quas tamen in fauorem religionis Christianæ, Constantinum Cæsarem abrogasse, seu temperasse ipsemet ore proprio cõfitetur? Quid est hoc aliud, rogo, nisi contra christianam niti religionem? At lex Mosaica, inquit, execratur sterilem. Vide quo vocabulo rem exaggerat. Execratur, inquit. Quæro abs te, homo verè execrabilis, cur locum non citas aliquem? Nescis scelus esse sacrilegij, velle sacræ scripturæ imponere? Nihil enim habet illa lex in iudicijs contra cœlibem. An non cœlebs Elias, & Elisæus, & alij nonnulli sub illa lege constituti? Quòd si etiam continentiæ meritum, & gratiam apud Deum ex ipsa lege Moseos coniectare voluisses, & quantum conueniat

D. Thom 2. 2. q. 89. art. 1. vers ad princ. & ibi Caiet.

puræ religioni castitas cœlibatus agnoscere; nō ne spectasses, priscis sacerdotibus operam dare nuptijs prohibitum fuisse, dum sacrificio inseruirent & sacræ aræ? cur ita quæso? vtrum quia sit sanctitas in carnali illa copula, quam tantopere vt sanctam, ter & amplius cōmendat: an potius, quia quædam inerat turpitudo? Si sanctitas, ut ipse uult, certè sanctitas sanctitati non aduersatur: erat ergo turpitudo, & profanitas quædam carnis opus, sanctitati repugnans. Ob eam causam de panibus propositionis à sacerdote non prius quicquam datum fuit Dauid & socijs comedere, etiam maxima esurie, nisi prius se ab heri, & nudius tertius à mulieribus abstinuisse testati essent. Quàmquàm, quid oportebat lege inniti mosaica, cum illa vtpote carnalis, multa cōcederet carni, quæ postmodum adtentanti spiritui meritò cederet? propter quod & præscriptum fuit. Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.

Leuit. 8 g. 1. Parali. 24 Hoc etiā testatur Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarrac. episc. Hoc idem Innoc. pri. in episto. ad Exuperium Tholos. episc.

1. Reg. 26. b.

Ezech. 20. d.

Adiungit eadem argumentorum stupiditate pœnas, quibus matrimonij violatores per leges plectuntur. Sed quid hoc, ut præstet matrimonium cœlibatui? quasi cœlibatus uiolatores nō sceleriosius agant, quàm qui uiolant iura coniugij. Illi enim fidem Deo datam irritam faciunt; isti fidem homini promissam franguut. Quòd autem leges, quæ his priuilegijs fauent matri-

monijs, optima ductæ ſint ratione, aperit nobis Coſmophilus: quoniam, inquit, matrimonio immortalitas accepto ferenda eſt. Quid autem immortalitate felicius?

Vere Coſmophilus hic oſtendit, quàm male formatus fuerit doctrina Chriſti: imo prodit ſe armatum contrà eiuſdem doctrinam, nec credere mortuorum reſurrectionem, futurum extremum iudicium, nec aliam vitam æternam, cũ aſſerat per ſuum matrimonium fore in hoc exilio vitam immortalem. Sed ſeducere omnino ſatagit. Non enim tàm fuit hebes, vt ignoraret morti omnia ſubijci, & quòd ipſa vniuerſa terra, & ipſi quoq; cœli peribunt; nec vltra erit gene-
1.Cor.15.d. ratio, & corruptio, cum nouiſsima tandem inimica deſtruetur mors. Ecquam igitur hic homo immortalitatem ſomniat à coniugio, quod & ipſum peribit? Nam in illo immortalis bea-
Matt 22.c titudinis regno neq; nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei.

Illud æque ſtupidi eſt ita loqui, & perinde argumentari, ac ſi forte tu Aporetice, ſpreto matrimonio cœlibatum amplectaris, totus mundus confeſtim ſit periturus. Sed cur non perijt Coſmophilo ipſo, qui lætam & iocũdam, abſq; matrimonio vitam elegit? Conſtat enim illum nunq; duxiſſe vxorem, ac proinde malè immortalitati conſuluiſſe, quam tamen tàm ſancto ma-

trimonij opere promouere debuisset, si immortalitati mortem infert cœlibatus. Turpe siquidem est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Sed latet anguis in herba: quia hic Cosmophilus, cũ animæ immortalitatem, imo nec Deum esse cum suo Luciano crederet, eam immortalitatem intelligi non obscure voluit, quæ more pecudum, generatione indiuiduorum perpetuari posse credebat. Qui enim firmiter credit istius mundi futuram consummationem, quam potest per matrimonij opus immortalitatem polliceri? Quomodo seruabitur fidei catholicæ de resurrectione carnis articulus, si caro per matrimonium immortalitatem consequatur? Cato.

Redit iterum ad naturæ legem, euangelica semper suppressa, in qua extollenda latissimè spatiatus, nihil tamen solidi proferens, cœlibes facit cæteris animantibus deteriores, quòd ij spernant coniugij legem, illa autem seruent. Et, vt magis moueat, seu verius ludat, & deludat, latius patere coniugium inquit, & in arboribus inueniri, imo & ipsum cœlum quasi terræ maritum obijcit, cuius influxibus terra prægnans effecta, tot tamq; varios fructus nobis producit?

Hic miror non exclamasse hominem, o, cœlum, o, terra, vt & superos contra cœlibes; & inferos prouocaret. Verum, vt rationabiliter,

& naturaliter loquamur, si cœlibes non longè sanctiore coniugio, & cum pulchrioribus cœlis copularentur, plurimum valeret ista Cosmophili allegatio. Sed euangelica, & spirituali doctrina loquendo, sicut sunt fructus carnis: ita sunt & multò diuiniores spiritus fructus, & ad vtrosq; proferendos sua sunt à Deo prouisa, & præparata coniugia. Est terra, quam cernimus oculis, & terimus pedibus, quæ & manibus colitur, & hæc per cœlorum influxibus quasi grauida & fœcunda ea nobis gignit, quibus viuunt mortalia corpora cum hominum, tum etiam pecudum, sed ad vitæ spatium mox periturum. Est verò & alia terra humanorum cordium, quæ & ipsa disponi debet, & ita coli parariq; à nobis, quò beatiores sublimiorum cœlorum influxus concipiens, etiam fructus longè pretiotiores producat, quibus felices animæ ad æternam beatitudinem sagingentur. Sed quid infideli Cosmophilo cum ijs cœlis, hoc est, cum beatis spiritibus? Nihil profectò, nimirum qui ex eorum numero effectus erat, qui mittentes manum ad aratrum, respexerunt retro, & iccirco minime sunt apti regno Dei. Non mirum igitur si iste, nec spirituale nouit coniugium, nec eius fructuũ solidam sensit vnquàm dulcedinem.

Vt autem in cœlibes etiam maiorem concitaret inuidiam, ad fabulas poetarum cõuertitur.

Gigantes imprimis nobis obijcit illos anguipedes terræ filios, qui bellasse cum dijs feruntur, sed fulmine ictos à Ioue corruisse. Per hos autem significari ait immanes quosdam, ac feros & obscuros homines, qui à coniugali concordia abhorrentes, legi naturæ repugnarunt: quod est pugnare cum diis, ipsius naturæ authoribus. Quare è conuersò inducit & Orphæum qui cantu & cithara, ad se saxa durissima è syluis traxisse fertur: quòd est homines saxeos à vago concubitu ad societatem coniugalem adduxisse. Ouid. Met. lib. j. Ouid: Metam: lib x.

Hæ fabulæ, si nobis pro fabulis opponuntur, etiam vt fabulæ iure sperni quæunt: sin autem vt à sapientibus confictæ, vt inde nos aliquid præcepti, & doctrinæ ad ædificationem morum sumeremus, illam Cosmophili de Gigantibus interpretationem, vt valde ineptam & crassam, imo vt cõtumeliosam, & in sanctos Dei impiam non recipio: Sed illam Macrobii potius probo, quam Cosmophilus quidem (vtinam, vt vir multæ lectionis, ita & multæ pietatis) minimè ignorabat. Verùm, quia contra se militabat, callide dissimulare voluit. Ait enim libro Saturn. primo ille author. Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem Deos negantem? & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede uoluisse, horum pedes in draconum uolumina desinebât: Macrob. lib. 1. Satur.

quod significat nihil eos rectum cogitasse, totius uitæ eorum gressu, atq; progressu in inferna uergente. Hæc ille. Quæ interpretatio quàm pulchrè Cosmophilo congruat, quem esse unum ex his Gigantibus, etiam si fama taceret, hæc tamen, & alia plura eius impia dogmata, quæ in uariis opusculis suis sparsit, satis facerent manifestum. Nam perpende, quæso, quanta & de cœlo, & de terra, & de montibus, & de saxis, ad cœlibatus extirpationem congerat argumenta, quem tamen amplexus est Christus, & Ioannes Baptista, & olim Elias, & Elisæus, & alii propemodum innumeri, quos ob cœlestem uitã in terris exactam, Deos nominare fas est; nimirum quibus probè diuinum illud elogium conuenit, quo dicitur: Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes. Contra hos autem cœlestes uiros hac tanta procacitate insurgere, quid est aliud, quàm uerè cum Diis pugnare? Sed merito his Gigantibus contingit, ut tonitruis, & fulgure Euangelii Dei percussi, corruant in profunda præcipites. Nam quod de saxis, Orphæi cantu conciliatis interpretatur, homines saxeos à uago concubitu ad sanctissimam matrimonii legẽ esse adductos, nihil contra nos facit. Libenter enim concedimus, & cupimus homines duros à uago concubitu abstrahi, & legitimas subire connubii leges: quod si fecisset Cosmophilus, nec simul

Psal. 81. b.

nec ſimul ſemper ſuperexcellentem noſtri euangelici cœlibatus prærogatiuam inſectatus fuiſſet, etiam illum hac parte laudibus proſequeremur: ſed nolumus, nec tolerare debemus, eos ſanctiſsimos viros inter ſaxa annumerari, qui ſpiritu Dei, & propter Deum acti, omnem carnalem concubitum contempſere, quorum te, Aporetice, exemplum percupimus & æmulari, & imitari: non autem ob Coſmophili impoſturas ſpiritum, qui tibi meliorem partem ſuggerit, à te extinctum iri. Audi Apoſtolum execrare Coſmophili vocem: Spiritum, ait ille, nolite extinguere. 1. Theſſ. 5. c.

Verum, quoniam religio eſt, chriſtianum hominem his fabuloſiſsimis fabulis intendere; cætera conſultò omittam, quæ de Orpheo & de Euridyce quàm ab inferis reuocauit, adiecit; & quæ de Ioue Gamelio, & Iunone Pronuba, & Lucina: quæ omnia vel eo ſolo nomine, quòd ſunt à falſorum deorum, & profanorum ac infidelium hominum exemplis ſumpta, ſuum citatorem, cuius fuerit fidei plus ſatis patefaciunt, qui ſuppreſsis nouæ legis, & euangelicorum virorum teſtimonijs, & exemplis, ad ſaxa nos, & virgulta, & inſuper ad beſtias imitãdas transferre toto conatu ſatagit: perinde ac ſi vnus, & idem eſſet hominum, & iumẽtorum ortus, & interitus, Eccleſ 3 d. iuxta impiorum vocem à Scriptura meritò da-

mnatam. At nihilosecius, vt confusionem suam agnosceret, quot, & quantas possem ego, si hoc Theologum deceret, alias fabulas multò etiam aptius in fauorem cœlibatus inducere? Sed sancta, & perspicua christianorum doctrina, meritò hæc peregrina, tanquam suspecta testimonia dedignatur.

Ad bestiarum, inquam, æmulationem cohortatur. in quibus mirificos copulæ maritalis ostẽtat effectus, turtures & columbas omittens, ipsos ferocissimos leones in vxores suas adducit mites, Tygrides pro suis catulis dimicantes. Asinos, inquit, per obstantes ignes agit prolis tuendæ pietas. O fælices asinos, quorum pietas, aut furor religiosus ac pius, stylo Cosmophili tam lepidè celebratur, & in egregium effertur exemplum, vt inde sapiant homines. Pari animositate & equos & mulos & bestiarum genus omne poterat adducere. Dabit tamen nobis Cosmophilus sua benignitate veniam, si potius au-
Psal. 31. c. dierimus prophetam dicentem: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.

Quod verò & legem matrimonij seruare leones in vxores suas prædicat Cosmophilus, ipsius impudentiæ damus: & quod adiecit; nullam gentem adeo barbaram, adeo feram vnquam fuisse, quæ non sanctum ac venerandum putarit

esse coniugium, merum est omnino mendacium, nisi de coniugio illo loquatur, quod cum feris habet homo commune: alioqui multi sanctitatem coniugij, & diuortijs, & concubinis, & pluralitate vxorum, & incestibus, & alijs indignis copulis, quas pro legitimis habebant, indignissimè commacularunt: immo verò, non solùm barbaræ gentes, sed & nonnullæ Respublicæ, & qui habiti sunt grauissimi philosophi, legitimũ matrimonij vsum repudiandum, mulieres debere esse communes docuerunt, & sanxerunt. Et si quæ animalia aliquid inter se fidelitatis (sed hæc sunt admodum rarissima) seruare dicantur, id potius ad præstantiam cœlibatus spectat: vt de turturibus, quorum superstes nullis repetitis nuptijs, in luctu perpetuò cœlebs vitam finit. Itaq; huiusmodi non minus mendax, quàm fallax argumentorum genus, ad conciliandum matrimonium, nedum quicquàm uirium habet, quin potius suam illi dignitatem (si ea est à saxis & bestijs confirmanda) funditus tollit. Quid enim sanctitatis habeat uerum coniugium, nemo nisi solus christianus unquam nouit. Vnde & in Christi lege nullum matrimonium ratum habetur, nec est sacramentnm, nisi fuerit inter fideles initum.

Pomp. Mela. de Garaman.

Plato de Republ. lib. v.

Pluto in vita Licurg.

Aristot. de Hist anim. lib. 9. c. 7.

D. Ambr. de Patriar. lib. 1 cap. 9. relatus, 28. q. 1. can. 15. cum sequen.

Itaq; cum passim ea Cosmophilus effutiat, quæ nihil momenti ad suadendum habeant, eius

ipsius accipio consilium, non oportere de quolibet prolato solicitari, in quo nihil sit quod habeat quicquam solidi.

Sunt tamen quædam, quæ religionis gratia non sunt omittenda, quale est illud: Nullus ciuis egregius habitus est, qui non liberis gignendis atq; instituendis operam dederit, ut cognoscas, quàm totus huius mundi sit iste homo, qui oculos parumper ad cœlestem ciuitatem extollere non ualeat: alioquin planè cerneret, ibi nullos ferè magis egregios esse ciues, quàm qui operam non dederunt liberis. Nam hi, agnum quocunq; ierit concomitantur, ait dilectus, virgines enim sunt.

Apoc. 14. a.

Illud item, quod producit, Hebræos, & Persas, quos ea in parte laudat, quòd etiam simul plurimas habuerint vxores, nunquid christianũ tibi an belluinum potius videtur? Scimus aliquot olim priscos patriarchas ab Abraham, operam dedisse liberis, & plures habuisse vxores, quod factum excusationem quidem tum ratione temporis ob necessitatem propagationis; præsertim in gente hebræa habuit; laudem verò (nisi nunc ab impijs, & Cosmophilo) nunquàm. Quocirca, & quæ de Abraham, & Iacob commemorat, inualida sunt ad suam causam.

Quod verò de Salomone adiungit, impudentiæ est, qui cum sapientissimus fuerit, nihil illius

ſapientiæ plus detrhaxit, nulla res turpiorem illius nomini maculam inuſsit, niſi illud nimium cum mulieribus conſortium. Teſtis eſt ſcriptura ipſa, quæ ait: Cùm iàm eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres. 3. Reg. 11. a.

Adiunxit & Socratem, qui omiſſo cœlibatu elegit connubium: At ille Apollinis oraculo ſapientiſsimus pronuntiatus eſt. Verè Coſmophilus hoc in loco videtur arbitrari ſe tecũ agere, tanquàm non cum viro chriſtiano, cùm ad tibi ſuadendum contrà cœlibem vitam coniugium, Idolorum nitatur oraculis: Vbi non obſcurè potes hominis etiam atheiſmum recognoſcere, qui pòſtpoſito filij Dei viui oraculo, & exemplo, te ad Apollinis Satanæ ſimulacri oraculum amplexandum inſtigat. Verùmenimuerò quòd vxorem duxerit ille, quàm inde inſignis ſapiẽtiæ eminentiam oſtendit? quæ ſi eſt aliqua, nonne communem illam habuit cum multis? Nec tamen negamus, eum vel ea in re prudẽter egiſſe, qui cùm experiretur acres libidinis aculeos, melius eſſe cenſuit copulari, quàm vri. Etenim natura eum libidinoſum fuiſſe, literis proditum eſt. AElianus. In eo verò, quòd moroſam vxorem patienter tulit, libenter illius ſapiẽtiæ aſcribimus, qui è duobus malis leuius elegit toleran dum. Non enim præſtabat pugnare cum belluis quotidie. Sed quid hoc cœlibatui officit, vt ma-

trimonij commoda, commodis cœlibatus anteponantur? imo verò hoc ipsum egregiè pro ipso cælibatu facit, qui ijs caret domesticis, & intestinis, & supramodum molestis rixis, regnum veræ sapientiæ, in mente viri sapientis pessundantibus.

Nunc ad aliud argumentationis genus paulò accuratius, quæso, respice, mi Aporetice, vt certò, & perpetuò deprehendas, quàm nihil sit in hoc rhetorculo christianæ religionis.

Præmittit primùm, Deum, & naturam nihil frustra facere. Tum adijcit. Cur hæc membra tribuit? cur hos stimulos? hanc vim generandi? si cœlibatus per se laudi ducitur? Si quis te magnifico munere donaret, arcu, veste, gladio, indignus accepto videberis, si vti eo aut nolles, aut nescires. Cum enim cætera omnia tanta sint ratione constituta, haud verisimile videri debet, hac vna in re naturam dormitasse. Hactenus Cosmophilus.

Tu uerò numera quot differentis errores, tot blasphemias, & impietates. Primùm, putat frustrà illa membra data, si eorum defuerit ad hanc operam vsus. Quis ad hanc uocem uehementer non perhorrescat? Nec ipsi Christo, nec sanctissimæ Virgini illius matri, nec cœlesti & angelico homini Ioanni Baptistæ parcit: quin ulterius concedere cogitur, in futuro cœlestis bea-

titudinis paradiso, uel hæc membra non fore, quod est hæreticum: uel si futura sint, etiam fore nuptias, & carnales copulas: & istud iterum hæreticum, & mahumetanum est, contra expressum ipsius Christi uerbum aientis: In resurrectione non nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo: Aut certè, ut uerè atheos se futuram uitam negare profitebitur. Ad hæc, non omnino illa membra frustra erunt, etiam si absit opera coniugalis, quæ iam legitimum usũ à quibus oportuit, consecuta est in uia, non ulterius exercitanda in patria, ubi erit status omnis felicitatis plenitudine perfectus. Tertiò, finis ille propagationis, nõ à singulis eam operam exposcit. Satis enim est eam à multis exerceri pro cõseruatione indiuiduorum & ciuitatum, quandiu sapientissimo Domino Deo durare mundũ placuerit: quod certè, saluo cælibatu, diu factũ uidemus. Plenus est enim totus orbis terrarum gentibus plus satis. Imo uerò urgente, & instante huius mundi deprauatione, & finali destructione, ad accelerandam suæ iustitiæ ultionem prouocabitur omnipotens Deus, quoniam tunc homines, sicut in diebus Noe, edent, & bibent, & tradent ad nuptias, ut ipsemet predixit. Et quemadmodum olim immissum est diluuium, sic futurum tunc eadem de causa peruagabitur incendium.

Matt. 22. c.

Matt. 24. d.

Genes. 7. b.
Luc. 17. f. 1.
Corin. 3. c.
2. Petr. 3. b. c

Deniq;, quod longè est grauius, hæc doctrina palàm fidei nostræ fundamenta subuertit. Ipse enim hos stimulos ueneris, & hos carnis æstus, naturæ esse bene institutæ, non autem à peccato corruptæ, ipse suis uerbis exprimere homo non minus audax, quàm etiam impius nō dubitauit: nam post superius annotata subiecit hæc uerba.

Nec audio, qui mihi dicat fœdam illam, & obscænam pruriginem, & Veneris stimulos, nō à natura sed à peccato profectam. Quid tam dissimile ueri? Quasi uerò matrimonium, cuius munus sine his stimulis peragi nequit, nō culpam præcesserit. Nam in cæteris animantibus unde illi stimuli? à natura, an à peccato? Mirum, ni à natura. Postremò nos imaginatione fœdum reddimus, quod suâpte natura pulchrum, & sanctum est. Alioquin si res non opinione uulgi, sed ipsa natura uelimus expendere, cur minus fœdum brutorum animalium more edere, mandere, coquere, excernere, dormire, quàm licita permissaq; uenere uti? Hæc sunt Cosmophili axiomata.

Negat igitur imprimis, ut Cynicus, rei fœditatem, & obscænitatem, quam tamen ipsamet nos docet natura, qua duce & magistra non solùm hæc membra solicitè, tanquam pudenda occultamus, sed etiam illam eorum operam

multò

multò magis, vt nulla sit tam perfricta fronte, & deploratæ impudentiæ meretrix, quæ turpia illa non nisi sub fornice atq; in abscondito perpetrari audeat:&, cum hæc ita sint humano pudori à naturæ instinctu impressa, atq; insita, hunc tuum tamen suasorem non pudet sua quadam non humana, sed verè canina opinione, & imaginatione asserere; turpe, ac fœdum humana imaginatione esse redditum, quod est suapte natura pulchrum, & sanctum. Verùm quid huic tam immani, ac robusto giganti opponemus, nisi sanctarum fulmina scripturarum, quibus illum dedamus cum suo dæmone præcipitem, à quo talia est edoctus? Responde nobis, si potes, o Pelagiane Cosmophile, qui ais hanc fœditatē, vnde erubescimus, non à peccato, sed ab hominum opinione profectam? Quid est ergo, quod Scriptura tam disertis verbis præmittit de primis hominibus ab initio: Nudi erant, & non erubescant? Et deinde post peccatum dicitur, quòd agnouerunt se nudos, cumq; inciperent erubescere, cōsuerunt folia ficus, quibus sibi facerent perizomata. Hæc certè legerat iste nouus Cynicus, qui (vt superius vidimus) matrimonium Adæ, & Euæ in suæ causæ corroborationē produxit: sed hanc erubescentiam callidus, & vafer pro more dissimulauit, aut præ vecordia non intellexit, quod erat adeò clarum; aut certè

Gen. 2. d.

Ibidem. 3. b.

perfidia ſpreuit, quod ab omnibus orthodoxis ſcriptoribus erat traditum.

Sed ait: Quid tam diſsimile veri? quaſi verò matrimonium, cuius munus ſine his ſtimulis peragi nequit, non culpam præceſſerit? En, vt pergit deſtruere fundamenta chriſtianæ fidei. Verè matrimonium culpam præceſsit, ſed non ij effrenati ſtimuli, qui modo inſurgunt. At matrimonium ſine his ſtimulis, inquit, peragi nequit. Perpetuò cõfusè, & abſq; diſtinctione loquitur. Hoc quidem verum eſt, ſed poſt peccatum: nam antea hi ſtimuli nequaquam fuiſſent, & tamen abſq; illis opera matrimonij cum omni rationis tranquillitate exercita fuiſſet. Ratio enim, & pars ſuperior Deo ſubdita fuiſſet: rationi autem partes inferiores ad nutum paruiſſent.

Pergit Pelagianus ſuperiora probare, & ait. Iam in cæteris animantibus, vnde illi ſtimuli? à natura, an a peccato? mirum ni à natura. Nos autem fatemur, verè cæteris animantibus à natura, non à peccato.

Quid ergo? Ita ne oportuit etiam ineſſe hominibus, ò, animalem hominem, qui quod conuenit animantibus natura, id putat & hominibus in naturæ rectitutidine conſtitutis conuenire, perinde ac ſi inſtar pecudum nulla præditi ratione ferri, & impelli in ſuas operationes debuiſſent: ſed id ad decipiendum incautos, & car-

nales homines loquitur. Neq; enim credendum est, illi fuisse ignotam ex antiquo peccato nostræ deiectionis causam, quam propheta tam aperte deplorat inquiens, Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. c.
Vide quàm indoctè argumentatur. Ab eo, quod minus & infimius est; id vult concludere quod est maius & dignius: quia, scz, cæteris animantibus insunt à natura stimuli; ergo & hominibus. Poterat similiter & de multis dicere: Si ea insunt hominibus; ergo & Angelis. Atq; vt decipiat, ancipiti vocabulo naturæ abutitur. Nos enim fatemur natura hosce stimulos nobis obuenire: sed à natura lapsa, & corrupta, quam sic infecit peccatum, non Deus. Nam ante peccatum sub naturæ integræ statu, minimè in nobis fuissent hi molesti stimuli; sed omnis nostrâ actio sub rationis imperio, rationis imperium sub Deo (vt paulò antè dictum est) felicissima harmonia perstitissent. Sed vt sui argumenti inutilitatem conspiciat; Respondeat, quæso, versa vice eum interroganti. Mors in cæteris animantibus à natura est, an à peccato? proculdubio dicet à natura. Et nunquid patietur aliquem hinc inferre; ergo similiter in hominibus est à natura, non à peccato? cum dicat Apostolus, Sicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, Rom. 5. b.

& per peccatum mors; ita mors in omnes homines pertransijt? Id opinor, concederet Cosmophilus, eadem enim vis est in syllogismo: & tamen vtrumlibet concedens, aut Pelagianum se indicaret; aut certè Atheon, qui originalis culpæ pestilentem labem non agnoscit.

Peccat similiter & aliud argumentum, quo probare contendit, cœlibatum idcirco virtutis non mereri nomen: quoniam nulla potest dici virtus, quæ cum natura pugnat. Etenim cum in nobis sit natura, qua cum asinis conuenimus, & cæteris pecudibus, quid prohibet virtutes cum huiusmodi natura pugnare? Audiamus quid

Gal. 5. c. Apostolus doceat: Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Itaq; si cuncta, quæ cum natura pugnant, virtutis nomen, iuxta istius dogma mereri nequeunt, vitia in virtutum possessionem & regnum subintrabunt, vitiorum nomen virtutes merebuntur. Quemadmodum enim cœlibatum vult haberi in vitio, quia naturæ stimulis non obsequitur; ita cæteræ virtutes, quæ cum naturæ stimulis pugnant, iam virtutum non merebuntur nomen.

Vt enim natura in qua nunc constituti sumus, stimulos ad libidinem, & corporum cõgressum habet, nonne pariter habet ad superbiam, auaritiam, iracundiam, gulam, laborum fugam, de-

ſidiam. & cætera flagitia, quibuſcum, ſi chriſtiani eſſe velimus, aſsiduè nobis confligendum eſt? De vtrauis igitur natura loquatur, corrupta ſeu reparata, aſtrictus ſuo laqueo tenetur Coſmophilus. Nam ſi corruptæ naturæ ſtimulis frena laxanda conceſſerit, euadet homo omnibus brutis animantibus longè inquinatior, atq; immanior. Si autem ad reparatam referat, quid excellentius, quidue poteſt eligi diuinius, quàm per virtutum ſtudia, maximè per cœlibatus arma de naturæ fomite in carne ſua triumphare, & ex humana, ac terreſtri conditione in ſpiritualē, & cœleſtem euadere? Perſpicis, Aporetice, in quod nam confuſionis barathrum ſe miſer ille ſuaſor præcipitem dedat, & te quoq; dedere cupiat, dum excellſam cœlibatus puritatem, nomine virtutis ſpoliare, & ſuos ſtimulos præferre, & tibi eouſq; commendabiles reddere contendit? Sed iam hanc miſſam faciamus impoſturam. Nam ſi horum ſtimulorum pugnam ſubire detrectauerit, iniquum prorſus eſt eos qui adiuuante Deo, ſuperarunt, & aſsiduè ſuperant, ad ſuam regulam, & inertiam velle metiri.

Verùm quò ſe verè gigantem oſtentet, argumentum illud præoccupando remouere conatur, quod maximi erat contra ſe ponderis. Sed Apoſtolorū, inquit, inſtitutum te delectat, qui & ipſi cœlibatum ſunt ſecuti, & alios ad id

vitæ genus sunt cohortati: quamquam & Apostolis aliquot fuisse vxores constat. Quid tu apostolicum institutum sequeris, ab apostolico munere longè alienissimus, homo nimirum & profanus, & priuatus? Illis hoc veniæ datum est, vt uacarent à coniugij munere, quò magis uacaret copiosiorem prolem Christo gignere: Episcopis cœlibatum concedamus, (& quod excurrit.)

Vbi sub paucis uerbis plurima errata grauia, & perniciosas deceptiones licet perspicere. Primùm, quod ait. Illud apostolicum institutum, fuisse proprium apostolicorum uirorum, quos oportebat huc, illuc: hac, illac ad promulgandum euangelium discurrere, & ob eam causam minimè poterant prædicationi simul, & uxori satisfacere, falsò & ad euasionem, uerius ad euersionem dicitur. Neq; enim hoc institutum obseruabant, duntaxat ipsi & profitebantur, sed & alijs omnibus, qui amplecti uoluissent, suadebant, & persuadebant, licet ad excellentissimum munus illud apostolicum non essent electi. Vnde & ipse B. Marcus Euangelista hoc genus Euangelicorum eunuchorum, qui in monasterijs laudantes Deum commorarentur, in Alexandria congregauit, & certas leges, ac instituta, ad quorum normam uiuerent, instituit: quod idem & alij Apostoli efficiebant, non so-

Hier. de viris illustr. & super prol. Euang.
D. Paul. Ambr. teste de Virg.

lùm mares, sed etiam feminas ad eam uitæ perfectionem sectandam feruenter cohortantes, & congregantes, ut narrant fidelissimæ ecclesiasticæ historiæ. Quòd uerò constare ait, nonnullos Apostolorum habuisse uxores, ad deceptionem facit. Tacet enim, & supprimit illos, postquàm secuti sunt Christum, etiam antequam apostolico munere fungerentur, à copula coniugij abstinuisse, iuxta omnium sanctorum doctrinam, & ecclesiæ catholicæ irrefragabilem traditionem: imo ex illiusmet hîc citato testimonio. Explodenda uerò omnino uenenosa illa ironia, quam irridens adijcit. Sit istud, ait, sacerdotum, ac monachorum priuilegium, quos apparet in Essenorum institutum successisse. Priuilegium primò uocat, quod uult non esse uirtutem, sed uitium. Deinde ad maiorem contumeliam, priscum genus, genus inquam, superstitiosum & reprobum, transfert in noui testamenti sacerdotes, & monachos; qui tamen uerè sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per uerbum Dei uiuentis, sicut ait Apostolorum princeps. Nam ab ipso Christo hic cœlibatus institutus, & ab Apostolis receptus, ad nos ab eisdem perpetua temporum serie processit. Quò fit, ut ipse Cosmophilus, uel hoc in loco uerè se Sadducæum declaret, &

D. Matt. vt in eius vita.

Euseb hist. Eccl. lib. 2. cap. 17.

Hieron. contra Iouin. lib. 1.

1. Pet. 2. b.

ex numero illorum unum, qui nullam futuram ut iterum dicam, expectant resurrectionem, nec postremi iudicij diem: sed ad impiam illam sententiam finem vitæ referunt: Comedamus, & bibamus, & nuptias, & carnis delitias celebremus: cras enim moriemur. At hos, ut pronuntiat Dominus, obruet improuisa, ac repentina calamitas.

Esai. 22. d.
1. Cor. 15.
Luc. 21. f.

Quoniam uerò illa Domini sententia premebatur: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei, nec ullo modo elabi poterat, uafrè subdidit: Non reijcio authoritatem, sed sententiam interpretor. Primùm arbitror, inquit, hoc Christi dogma ad ea tempora potissimum pertinere, cum oportebat cursitare per omnes terras, & undiq; imminebat persecutor: Et prætereà per eunuchos etiam posse significari coniugatos audet asserere. Sed è quibus nam fontibus hic tam singularis doctor falsas huiusmodi interpretationes hausit, cum omnis Ecclesia, & uniuersi Scripturarum tractatores secus interpretati sint: quinetiam, & uis ipsa uerborum tam apertè repugnet? Eunuchis enim quãtúm ad procreationem prolis, omnis omnino nuptiarum amputatur facultas. Nunquid cunctis doctoribus catholicis anteponetur istius gigãtis authoritas, satisq; pro omni ratione erit, quasi alterius Pythagoræ responsio, Ipse dixit?

Matt. 19. b.
August. de sancta Virginitate, & alij.

Minimè

Minimè uerò: quin potius fulmine cœlesti, & apostolico uerbo ictus corruet, illò scilicet, quò serio admonet eos qui vere sapere velint, tanto esse debere expeditiores, & abstinentiores, quã-to propinquior dies ille instat, qui repenti-nus adueniet, ne nos incautos deprehendat, & somnolentos. Luc. 21. g. i. Thessal. v. a 2. Petr. 3. c.

Quòd verò tuus Aporetice status, quem pro-fanum, ac priuatum vocat, aliud postulet, merũ mendacium est, & grauis cõtumelia. Quis enim nisi verè profanus, profanum eum vocare ausit, qui dignitate christiani nominis sit insignitus, & Christi membrum effectus? Cœlibatum verò sacerdotibus, & Episcopis fateor necessariò cõ-uenire: hoc enim decor Ecclesiæ, & ipsa admini-strandi sacramenta maiestas veneranda, ac diui-ni verbi prædicatio suo iure exigit. Priuatis au-tem ita demum cõuenire asseueramus, si optant ipsi hoc sanctioris vitæ genus, ac simul se pro-prio voto eidem sic astringant, vt recedere ne-queant ab hac ipsorum obligatione Deo seruien-di. Episcopis autem, & sacerdotibus ab ordi-ne, atq; officio hæc sit imposita cœlibatus ser-uandi decentissima obligatio: quamquam & monachorum status est eius naturæ, vt imposs-ibile sit esse monachum, & illum voto euangelico non castratum. Quòd itèm tibi tanquam homi-ni profano & priuato, excellentem Apostolorũ,

& apostolicorum virorum imitationem, minimè esse æmulandam cautus amicus suadere molitur, id efficere intendit vt te velut stupidum, etiam ad vitam bestijs simillimam adigat. Pari enim argumento, quo te ab heroicis euangelicæ perfectionis virtutibus, ob illarum sublimitatem reuocare contendit, etiam liberales scientias, & ipsas quoq; artes mechanicas fugiendas censet. Poterit siquidem insignes authores, vt Aristotelem in philosophia, Tullium in rhetoricis, & eloquentia, Apellem in picturis. Euclidem & Vitruuium in mathemacis structuris & ædificijs & huiusmodi allegare, ad quorum excellentiam si aspirare volueris, despondere animum erit necesse. At Redemptor noster exemplum discipulis dedit, vt quemadmodum fecit, & ipsi facerēt. Apostolus quoq; vt ipse Christum imitabatur, ita ad sui imitationem cohortabatur. Idem docuerūt quotquot floruerūt in ecclesia eximij vitæ sanctioris patres & doctores. Neq; verò inuitamur, vt Christi plenitudinem cōsequamur, quod esset blasphemum. Ipse enim est fons inexhaustus, & summa atq; infinita plenitudo, de qua omnes, tanquam singula vasa, sed finita, suam quæq; plenitudinem ad mensuræ propriæ captum acceperunt. Nec à quoquàm requiritur, nisi, vt implere studeat uàs suum ad proportionem suo statui conuenientem.

Ioa. 13. b.
1. Cor. 4. d. & 11. a.
Hieron contra Iouin. c. 16. & c. 24 & alij.

Mitto ea prosequi, quæ si etiam concedātur, nihil detrahūt cœlibatus honori. Obijcit enim, & acriter in eos inuehitur, qui cœlibatum violant. At quid quæso, officit sancto instituto prauorum transgreßio, ac præuaricatio? Lex enim ipsa sancta semper, & bona censeri, nec vllo modo propter præuaricantes uituperari debet: Alioqui & euangelica lex, & baptismi sacramentum, & ipsum etiam matrimonium tantopere tibi à Cosmophilo commendatum, pari ratione improbari possent: quandoquidem non desint ipsorum præuaricatores. Et quæ nam lex sancta haberi poterit, & iusta, si requiratur ut citra ullam transgreßionem ab omnibus prorsus impleatur? quamquam multa hyperbole in nos insultat. Nam, ut minimè contumeliosus, ac maximè uerecundus, addit.

Atq; utinā uerè castrati sint, quicunq; suis uitijs magnificū castrationis prætexunt titulū, sub umbra castitatis turpius libidinantes. Neq; enim mei pudoris esse puto cōmemorare, in quæ dedecora sæpè prolabantur, qui naturæ repugnāt.

Audis hominē verè sui pudoris oblitū, & perpetuò blasphemū, qui uiros etiam sanctißimos, naturæ repugnare coarguit, quòd postpositis carnalibus copulis, angelicū uitæ cœlibis statū, spiritusancto suasore amplexi sūt, & seruauerūt, quasi uerò nullus coniugatorū in dedecora sæpe

prolabatur. Verùm iterum audiamus illũ errata erratis cumulātẽ etiã amplius. Postremò, ĩquit.

Ne præcipit quidem Christus ulli cœlibatum: at idem diuortium palàm interdicit.

Falsum illud primum, nemini Christum interna inspiratione præcipere cœlibatum. Greg. Quorundam enim (B. Gregorio grauissimo teste) tales sunt Dei uocationes, ut nisi pareant, & cœlibatus statum assumant, salui esse non possint. Sed si donemus illud esse verum, nemini scilicet Christum cœlibatum præcipere: An nõ hoc vel maximè pro dignitate cœlibatus facit? Siquidem, cum res sit ardua, & propemodum diuina, & ita non omnium: idcirco sapientissimus Magister, & Dominus noster illam cõsulit, non præcipit, sciens paucos eam vitam, si cum infinita cæterorum hominum multitudine conferantur, amplexuros. Quod verò adiunxit: At idem diuortium interdicit coniugibus, suo se cultro iugulat. Qui enim carnis interdicit diuortium, non minus interdicit longè dignius matrimonij spiritualis, hoc est, ipsius cœlibatus solutionem. Et si adulterij reatum, præuaricator matrimonij incurreret, certè sacrilegij crimen violator cœlibatus non euaderet. Nunc audiamus, quid adijciat vir, vt ita dixerim, ad excitandam in Ecclesia Dei seditionem, & scandala natus.

Mihi ſanè videtur, inquit, non peſsimè conſulturus rebus, ac moribus hominum, qui ſacerdotibus quoq;, ac monachis, ſi res ita ferat, ius indulgeat coniugij: præſertim cum vbiq; tam ingens ſit ſacerdotum turba, quorũ quotuſquiſq; caſtam agit vitam? quanto ſatius concubinas in vxores vertere, vt quas nunc habent cũ infamia, cum irrequieta conſcientia, habeant palàm cum honeſta fama, ac liberos gignant, quos vt verè legitimos ament, ſanctèq; inſtituant, quibus & ipſi pudendi non ſint, & viciſsim ab illis cohoneſtentur. Hæc de Coſmophili ſapientia.

Mihi, inquit videtur non peſsimè cõſulturus. Non dixit, optimè conſulturus, aut bene conſulturus: ſed, non peſsimè. Malum enim eſſe conſilium, ſi verba ponderes ipſe fatetur; & uerè malum, ut tacitè concedit: imo & peſsimum, tametſi hoc neget. Nonne peſsimum uerè eſſet, & indigniſsimum conſilium, per quod inſignis decor, & pulchritudo caſtiſsimæ Eccleſiæ Chriſti ſponſæ obliteraretur? Quem enim nobis ab Apoſtolorum tẽporibus, poteſt Coſmophilus uirum in Eccleſia celebrem in exemplum proferre, qui ſimul liberis procreandis operam dederit, & ſacris literis cum laude, & animarum ſalute uacauerit? Quotquot enim cum græci, tum latini paſtores, in Eccleſia Dei admirabili uitæ ſanctitate claruerunt, & ſacras ſcripturas egre-

gijs commentarijs illustrauerunt, omnes citra ullam dubitationem in cœlibatu constantissimè uixerunt, & ad eandem uitæ puritatem uerbis, & scriptis posteros seriò cohortati sunt. Monachis uerò nuptias concedendas consulere, quid aliud est, quàm uitam monasticam radicitus extirpare? At istud est, istud inquam, quod malignus desertor & impurus: Spiritus Satan per suum discipulum Cosmophilum obtinere moliebatur; qui optimè nouit, sublato de Ecclesia cœlibatu, statum Ecclesiæ catholicæ integrũ diu stare non posse. Nam quòd concubinas in uxores uertendas consulit, pessimum omnino consilium: saluberrimum uerò, ad sacerdotium non debere elegi nisi uiros idoneos, & probatos, iuxta sanctissimos canones, & improbos iustis pœnis cohercere, & ita suam retinere in clero morum grauitatem, & sanctimoniam: nõ autem carni, & libidini alienam à cultu Dei permittere licentiam.

Extr. de præben. c. graue nimis. De vit. & honest. cler. c. vt clericorũ.

Quoniam uerò quidam de summis Pontificibus fertur dixisse: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas uideri. Id hæretici impudici usq; ad sydera in authoritatem efferunt, cogitare nolentes, quòd ille ut homo, tum antequam esset creatus Pontifex à prudentia sæculi huius instructus, quasdam iactabat eiuscemodi sententias: & tamen uide, quàm non

minus timidè, quàm cautè. Nihil enim aſſerit, ſed uideri inquit: fortè de uulgi tunc opinione ſenſit, aut mundi ſapientum. Huic uni ſententiolæ mordicus adhæreſcunt hoſtes fidei: Si qua uerò ſeria decreta, & doctrinam catholicã cum in fide, tum in moribus tradiderit, nedum ipſi diſsimulant, ſed impiè repudiant. Quòd ſi etiam unam hanc fortè inter prandendum & ſummus Pontifex exiſtens, citra ullam determinationem protulerit ſententiam: quot obſecro aliæ, & quanto grauiores extant aliorum ſummorum Pontificum ſanctiones, & grauiſsimorũ doctorum ſententiæ, qui ſecus omnino docent, & cœlibatum in perſonis Deo ſacratis ſtatuunt, & uiolatores tanquam ſacrilegos, & perfidos damnant? Quamobrem, quo ſit præditus ſpiritu, imo quanta carnis impuritate inquinatus qui contra dicit, uel hinc facilè patere poteſt, quòd hæc eſt manifeſtè communis uox, & uetus querela hæreticorum: ſed non præualebit. Quid enim eſt (ut modo diximus) concedere in Eccleſia monachis coniugium, niſi ſtatum ipſum perfectioris iuſtitiæ ab ipſo Chriſto conſtitutũ, atq; ſacratum, de ipſa Eccleſia tollere? Dare uerò hanc indulgentiam ſacerdotibus, quid eſt aliud quàm altaria profanare, & ipſius Chriſti hoſtiam puram, atq; immaculatam cõtaminare, & (quod merè ſacrilegium eſt) legitimè fieri

Lucij pri Syricij. Innocentij pri. Zaccharię. Cõciliorum Elibert. cap. 33. Aurelian. 3. c. j

posse, dogmatizare? Nam, quod nunc per concubinas fœdatur, illicitè fieri nemo nescit. At si illud lege concederetur, iam licite fieri censeretur, quod est horrendum.

Sed clamant. Quotusquisq; est de tanta sacerdotum turba, qui castam agant uitam? Ego quidem esse multos non dubito; sed hominum nequitia in eos potius oculos conijcit, qui labascunt, quàm in illos, qui suum statum, & pudicitiam sanctè custodiunt. Ideo ex paucis illis notis, qui labascunt, cæteros tales esse, inualida coniectura pronuntiare, iudicij est temerarij, & damnabilis. Verùm, si abundare præuaricationem concederemus; nunquid propterea decor Ecclesiæ est abolendus, quia multi, quod promittunt, non seruant? Sed quis est, qui baptismum custodiat illibatum, & nullam post contrahat etiam læthiferam in uita sua maculam? Ergo ea ratione tolli deberet & baptismus, & cætera sanctorum morum præcepta; & leges deniq; omnes. Sed hæc missa faciamus, ne margaritæ conculcentur à porcis. Neq; enim omnes spiritum Dei habent, ut probent sanctiora, & magis pudica. Audiamus & quæ sequuntur. Ipse enim tanquam in seipsum arguens, in hunc modum loquitur.

Sed diuina quædam res est uirginitas, at humana quædam res est coniugiū. Deinde respondens ait:

dens ait: Ego nunc homo loquor homini.

O argutum responsum, quod vel perfidi est, & se christianum esse negantis, vel causam stolidè prodentis. Non enim reuera aliud est fateri, se vt hominẽ loqui homini, nisi se loqui vt mendacem, atq; insipientem, sicut ait Scriptura: Omnis homo mendax. & Dominus Petro: Vade post me Satana: Non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Sed ille verè perfidus, id potius suadebat, tanquam si expresſius diceret: Mitte diuina inquirere Dijs, Tu cum sis homo, & mortalis, quæ sunt hominum, & quæ sunt mortalia cura. Nam hæc certa sunt, illa quis nouit? quis reuersus est de cœlo, aut ab inferis, & renuntiauit nobis?

Psal. 115. a.
Matt. 16. d.
Sap. 2. a.

Tu verò, Aporetice, caue tibi omnino; memento approbatæ ab Apostolo illius sententiæ. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Quare & quod sequitur, lætale virus habet.

1 Cor. 15. d

Tum, inquit, si in cæteris maximè laudẽ mereatur virginitas, in te certè reprehensione carere non potest, per quem stabit quominus optimum illud genus, & immortalitate cum primis dignum obliteretur.

Quasi verò in te vno situm sit humanæ propagationis seminariũ, vel illius exitiũ. Gere morẽ Cosmophilo, vxorem ducas, nuptiarũ opus impleas: At quis te certũ reddit prolem inde pro-

Gen. 30. a. &c. Isai. 66. c creaturũ? Nonne à Domino eſt fructus ventris? An nõ ſentis tibi nõ immortalitatis præmiũ, ſed mortis iniici laqueum? Nec veritus eſt homo

Gen. 19. g obſcænus cõmemorare filias Lot, quæ vt genus paternum ſeruarẽt, cum ipſo patre miſceri aſtu, inquit, mirifico procurarũt. Quid ergo tam improbandum ſupereſt, quod iſte ad ſuam cauſam quouis modo conducens non afferat? Quis Theologus inceſtum illum, & illum fœminarum auſum non vituperauit, velut à ſtultiſsimis mulieribus intentatum? Verè multa dixit Coſmophilus vt homo, & quæ humana ſunt cogitauit, illa tibi obijciens, quibus te aſtu alliceret. At hoc in loco, quæ vel ipſæ beſtiæ exhorrent, & ipſa Venus non probat, proponere tibi in exemplum non exhorruit. Eſt apud Ethnicum philo-

Plin. Hiſt. nat. lib. 8. cap. 42. ſophum in libro de animalibus, equum quendam ſe dediſſe præcipitem, vt nouit per libidinem ſibi matrem fuiſſe ſuppoſitam: Et nunc Coſmophilus exempla eiuſmodi tibi illo prætextu excuſans proponit, ne ſcilicet mundus tua ſterilitate perdatur. Putat igitur tuum genus, ſi maritus fias, continuo immortale futurum, tanquã ſi certò ſciret, te, vt dixi, habiturum vtriuſq; ſexus liberos, qui item alios generent, & item illi alios: nihil de ſterilitate, de cladibus, de morbis, & innumeris alijs caſibus; imo nec de Deo ipſo omnium donorum largitore cogitãs.

An non in dies familias pluſculas funditus interire videmus? Quæ autem poteſt inde ſuboriri Chriſtiano iactura, cum omnes fratres ſimus, & finis carnalis propagationis propemodum conſummatus ſit? Sed donemus iſtam tibi immortalitatem: quid eſt hoc tandem vſq; adeò eximium, ad quod optandum tantopere te extimulat, & impellit? Nempè generare hominem, quem Deo generes. At ſi Deo non generaueris, ſed potius Lucifero, ac gehennæ, vt ſæpius contingit, nonne pænitentia te generaſſe vrgeberis. Nam & Dominum Deum propter hominũ malitiam dicitur pænituiſſe quòd feciſſet hominẽ. Gen 6. b. Quid ſcis ergo tu vtrum potius generes filium gehennæ, & hoc præſertim tempore, quando creuit nequitia, & malitia in orbe vniuerſo? Quanto itaq; melius eſt, meliori vocationi conſentiendo, tutiorem tibi vitam eligere, ac tuæ ſaluti conſulere, quò poſsis & tuo exemplo, & monitis, quæ plurimum valent, quibus etiam vita ipſa conſonet, plurimos ad pietatem, & Dei cultum multò ſanctiorem attrahere; quod eſt uerè, ac tutò generare Deo, idq; ad beatam ac ſempiternam uitam?

Illa porrò, quæ ab initio tibi ponebat ante oculos, & ſub finem epiſtolæ, aut potius orationis ſuæ recenſet: nimirum puellam tui amantiſſimam, ſummo genere natam, ætate floridam,

facie ſpectabilem, moribus inſignem, ſumma cũ dote tibi offerri, magna profectò, & titillatrix illecebra eſt. Sed quanto hæc fallax, & fugax illecebra maior, tanto tu holocauſtum pinguius reddes Domino Deo tuo, ſi his reiectis totum te illi conſecres. Nos præcepto non te aſtringimus: ſed ſi uocationem Dei ſentis, eam omnino ne ſpernas, conſulimus: imo non nos, ſed Chri-
Matt. 19 d ſtus ipſa æterna ueritas, qui dixit. Omnis, qui reliquerit patrem, & matrem, & filios, & uxorem, & cætera, centuplum pro uno accipiet in hoc ſæculo, & in alio uitam æternam. In hoc ſæculo, inquit: Verum id Coſmophilus non credit: ſed illi certò norunt, qui ſunt experti, & qui ponentes manum ad aratrum, non conuerſi ſunt retro, nec ſicut Coſmophilus apoſtatarunt. Vt autem laudes ſanctæ uirginitatis obſcuret, ſemper in deterius labitur.

Neq; uero, inquit, me clàm eſt, magnis uoluminibus priſcorum Patrum decantatas uirginitatis laudes, quorum Hieronymus adeò miratur eam, ut non multum abſit à contumelia matrimonij, & ab Epiſcopis orthodoxis ad palinodiam ſit inuitatus.

Quid hîc aliud reſpõſi meretur inſignis ſuſurro, qui adeò meras calumnias in ſanctum uirum loqui nõ ueretur, quas & alibi in ſuis libris ſparſit? Cur homo mendax, & impoſtor nõ aliquem

unum ex illis epiſcopis,& orthodoxis eſpreſsit? Quaſi verò vllus celebrium doctorum ea ætate claruerit, qui ſummis laudibus virginitatẽ,& peculiari libello & ſermone in cœlũ nõ extulerit. Baſil. Aug. Ambr. & Chryſoſt. & alij.

Et quod ſubdit: Verũ donetur hic ardor illis tẽporibus, eundem qui ſupra, errorem cõtinet. Putat enim, aut potius ſe neſcire ſimulat, priora tempora magis requiſiſſe cœlibatum, quàm noſtra, contrà expreſſum ipſius Chriſti verbum, vt diximus, & clariſsimam Apoſtoli Pauli ſententiam; ſed & contra rationem manifeſtam. Sicut enim operæ carnis, & voluptati vacare, longè minus decet ſenem, quàm anterioris ætatis hominem: ita de mundo in hac eius ſenectute æſtimandum eſt, quod explicitè Apoſtolus docuit, 1. Cor. 7. & omnes ſancti doctores, & Coſmophilus legit, ſed non verè percepit.

Excogitauit & pro coniugio alias nouas rationes. Primò ex dictis Theologorum. Supponit enim bonum eſſe pugnare cum Turcis. At ſi ſubſtuleris, inquit, coniugium, etiam pugnatores vnà ſublati erunt.

Quid hic dicam? niſi hunc hominẽ ita loqui, ac ſi te cœlibatũ profitente, periculum immineat Chriſtianitati à Turcis, vt ſic militiam in tua poſteritate conſtituat. Nec illud cogitauit Coſmophilus, quòd in Turcas nõ tam numeroſitas bellatorũ valet, quàm oratio Eccleſiæ, & præſens

animus ſpiritualium militum, ac fortitudo, & fiducia ex Deo. Huiuſmodi armis præcipuè ſuperarunt noſtri, cum ſuperarunt.

Addit calumniator, docere Theologos, licere trucidare ferro parẽtes infideles, vt eorum liberos liceat baptizare, & propagare Deo. At hoc, inquit, mitius erat efficere coniugiorum officio. Verùm non ea erat vſq; adeo atrox doctrina, quam ponit Theologorum, quam neq; Eccleſia Dei recepit vnquàm, nec in praxim adduxit. Quòd ſi fortè vni, aut alteri ex theologis ita uiſum eſt, longè ponderoſior erat reliquorum oppoſita ſententia, cui & conſuetudo, optima legum interpres, aſtipulabatur.

Pergit etiam argumentari, puniri legibus, ſi quis procurat aborſum, aut accerſiat pharmacis ſterilitatem; & in ſacris literis mortis ſuppliciũ eſſe illatum ei, qui potius elegit ſemen de induſtria effundere, quàm fratri defuncto liberos ſuſcitare. At parum differt, inquit, ſi quod naſci ex te poterat, ſterili cœlibatu prohibeas, ab hoc, quod in tuo corpore vel areſcit, uel magno etiã ſalutis periculo corrũpitur: quod in ſomnis elabitur, homo erat, ſi modo tu eſſes homo.

Geneſ. 38. b

At ſi hæc obſcœna argumentatio quicquàm ualet, omnes prorſus homines conſtituit homicidas, etiam maritos, quibus ſemen ſæpè excidit fruſtrà. Non enim ſemper tenentur aut maritis

uxores adesse, aut uxoribus maritos. Sicut autem sunt causæ iustissimæ, ob quas præstat ab uxoribus ad tempus, potissimum ut uacent orationi iuxta doctrinam Apostoli, segregari, ut nullum sit piaculum, si semen frustra emittitur: ita una causa est maxima, qua liceat, & honestũ sit nunquam sociari coniugio, uidelicet, ut liberius uacemus Deo, ut ita fiat maximopere lucrosum, futurum illud naturalis fluxus dispendium. Neq; enim maritus totiens facit conceptus, quotiens semen in uxoriam terram iacit: quin etiam in non paucis accidere experientia uidemus, nullum inde nasci fructum. Fructus enim uentris potissimùm ab ipso naturæ parente tribuitur. Quòd uero periculum magnum salutis ijs ex Galeno ponat, qui semen continẽt, ut eius consilio præstet effundi, Cosmophili carnalis cautio est, nescientis alia in lege noua esse parata cõtra eiusmodi fluxus remedia, longèq; plus posse Christum quàm Galenum. Quamquam ex Galeno ipso possemus obijcere, longè plures perijsse ex nimio cum uxoribus cõgressu, quàm à semine non effuso. Nam & Hyppocrates diuina uir sciẽtia (sic enim refert Gellius) de coitu uenereo ita existimabat, partem esse quandam morbi teterrimi, quem nostri comitialem nominarunt. Multum uerò interest, utrum quis de industria prouocet à se semen, ne emittatur,

1. Cor. 7.

Genes. 30. a. &c. Isai. 66. c.

Gal. 6. de locis affec. c. 5.

Gal. lib. pri. de semine, cap. 16.

Aul. Gel. lib. 19. cap. 2

& legi repugnet, quæ iubebat coniugium: an uerò, ut rem superfluã natura foras emittat. Hoc enim nulla unquam lege animaduersum fuisse Cosmophilus legit: ac proinde non eousque stolidos arbitror reperiri populos, qui eius authoritate permoti legem ferre super hoc consentiant.

At, inquit: Si quis agrum sterilem relinquat, non ibi serens aliquid, aut plantans, quod metat, aut fructus colligat, nonne uituperatur, & supplicio dignus censetur, tametsi ea res nõ fiat absq; labore, & sumptu? Quid ergo meretur, qui etiam cum uoluptate, & magna spe frugis, potest hoc facere, & negligit? Qualis est homo, qui nuptijs cœlibatum præponit?

Tu uerò, Aporetice, ne ab exemplo decipiaris, cogita cœlibem non habere agrum, quẽ colat, ut illi si non coluerit, ualeat imputari. Quis enim eum uituperet, qui nõ colat agrum, quem non possideat? Dicet quis; Posset habere, si uellet: sed quæ lex in illum animaduertat, qui potens parare sibi agrum, optima ratione maluit non parare, ut suas meliores operas in melioribus etiam officijs collocaret? Ac ista quidem argumenta ad idem semper recidunt, & infidelitatem sapiunt, imo in Christum blasphemiam, qui tam clarè consulit, ne dum terrenum agrum, sed fratres, sorores, matrem, & patrem

Matt 19 d.
Ibid. 16. d.

patrem, imo ipſam vxorem, imo animam propriam relinquẽdam eſſe, ob adipiſcendam vitæ purioris prærogatiuam? Hæc eſt non immeritò illa margarita, cuius amore negociator ille euãgelicus vendidit omnia, quæ habebat, vt emeret illam. Etenim ſi ſermo iſtius profani conſultoris audiendus eſſet, non optimam partem elegiſſet Maria, ſic a Domino commendata, ſed deteriorem; quod ſacrilegum eſt vel perſentire. Sed hæc ſanctioris vitæ documenta, atq; exercitia ignorabat Coſmophilus, tametſi ea monſtraret Apoſtolus, imo ipſe Dominus noſter, ac redemptor Chriſtus, vt iam ſuperius oſtendimus.

Matt. 13. f.

Luc. 10. g.

Poſt hæc, ut te iuuenem iuuenilibus illecebris alliciat, quæ ſunt dulcia in vſu coniugij longa oratione commemorat, in quibus inſiſtere nihil prodeſt. Nihil enim niſi, quod eſt prudentiæ, ſeu potius impudentiæ carnis adducit, ita vt dicat miſer, & carnalis doctor, abſq; illa opera coniugali, & laſciua, ne viri quidem vocabulum quemquàm mereri.

Sed alia eſt ſapientia ſpiritus, ò, Aporetice. Non enim ab re ſacræ literæ Ethiopem illum Eunuchum Candaces reginæ virum vocãt: quoniam ſcilicet in eo, vt ſacri doctores animaduerterunt, eleganter illi deſignabantur, qui reuera ſunt viri. Illi enim verè ſunt viri, non autem ef-

Actu. Apoſtol 8. e.

Nicol. de lyr & alij.

fæminati, & mulierosi qui ab omni muliebri voluptate se per Dei gratiam abstinent, & impetum superāt naturæ: Calumniosum verò illud omnino est, quod in cœlibes obiectat, quasi sint humani generis osores. Nam ij potissimum sunt, qui diligunt homines, & expeditius charitatis officijs iuuant.

Pudet, quæ de poetis, & fabulis iterū affert, recitare; vt illud Virgilianæ Iunonis. Et pulchra faciat te prole parentem. & illud Didonis. Vbi quis tibi paruulus aula luserit AEneas. & quod Flaccus. Felices ter, & amplius, quos irrupta tenet copula: & alia huiusmodi ethnicorū hominum & infidelium dicta, indigna, quæ à viro christiano ad rem seriam adducantur; præsertim quod nihil ad causam faciunt, nisi vt probetur matrimonium, & fructus eius, & eos, qui illo legitimè vtuntur comprobemus, quod & libenter facimus: at non cum iniuria, & depressione cœlibatus.

Virgil. AEniad. i.
Idē æniad. 4
Horat. Carm. i. ode 13.

Attulit postremò pleraq; matrimonij commoda Cosmophilus, suam his locis latè spatiatus eloquentiam ostentare studens: at incommoda longè plura, eaq; grauiora, ut uersutus rhetor cautè subticuit; solùm si qua essent, à uitijs hominum euenire, non à coniugio insinuat.

At uerò aliter nos Euangelium Christi docet. Non enim de uitijs hominum, ac natura; sed de

ipsius matrimonij conditione considerabant, qui dixerunt: Domine, si ita habet causa hominis cũ uxore, non expedit nubere. Vbi Dominus fauens dicto, & hominum insipientiam indicans respondit, Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus est datum. Matt. 19. b. Ibidem.

Tu uerò, Aporetice, ut facilè capias, quantũ cœlibatus ad felicitatem præcellat, ac præstet coniugio, illud tibi præstitue, uerum bonum hominis esse adhærere non patri, non matri, non uxori, non cuiquam rei creatæ, sed ipsi Deo. Vnde psalmus: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Non dixit; Mihi adhærere uxori bonum est, sed Deo. Voluit quidem Deus hominem adhærere uxori suæ secundum carnem, sed imprimis sibi secundum spiritum. Huic autem adhæsioni multum officit matrimonium, ob innumeras quas secum affert, impedientes causas. Huius rei gratia dixit Apostolus: Bonum est homini mulierem non tangere. & amplius: De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: quoniam bonum est homini sic esse. Dixit; bonum est homini uniuersaliter, nõ dixit; sacerdoti, aut episcopo, aut apostolico uiro, ut Cosmophilus fallaciter interpretatur; sed absolutè: Bonum est homini. Nec dixit: Bonum est hoc tempore, sed absolutè: Bonum est. Et ne temporum differentiam cogitaret Cosmo- Psal 72. d. Genes. 2. d. 1. Cor. 7. a. Ibidem.

philus, cur id esset bonum, declarans, dixit.
Ibidem Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est, hoc est, distractus partim Dei, partim mundi.

Audin tu Apostolum, Aporetice? Profectò si illum audis, Cosmophilum non audies, qui & secunda, & tertia, & quarta nuptiarum repetita uota collaudat, quæ tamen etiã ipsi ethnici probro dabant. Etenim illum Mauritium, nescio quem, uirum tibi notum effert in authoritatem, & exemplum, qui post defunctam primã uxorem, mirificè, ut ait, à se adamatam, mense altero nouam nuptam in suum thalamum introduxit. Quod, si uerum est, certè probauit homo ille, se non tam uxoris amantem, quàm probrosæ libidinis. Quamobrem eius exemplo nullus, nisi parum ciuilis, & pudicus moueri debet, quasi ex eo facto laudem ullam mereatur. Illud potius commendari oportuit, si uates sunt adducẽdi, quod expressit sua Vergiliana Dido.

Virgil. AEnia 1. 4 Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores;
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro.

Nec desunt innumeri, qui post primas à secũdis nuptijs magna cum laude abstinuere. Sed quia non satis erat Cosmophilo, hoc uno exemplo tibi suadere, adiunxit aliud penitus impudicum;

nempè de quodam Iouio, qui tunc etiam quartas nuptias ambiebat. Verùm, quàm laudabilis ſit digamia, vel illud Apoſtoli præceptum oſtẽdit, quo digamos ſacerdotio ineptos cenſuit. Neq; enim videtur facilè poſſe hominem in virum ſpiritualem tranſire, quem poſt primas nuptias non cœperit illius maritalis copulæ ſatietas. 1. Tim. 3.

Poſt verò multa, quæ ad laudem illius carnalis copulæ induxit, metuens, ne per cœlibatum tandem genus hominum intereat, magna indignatione turgens, ait.

Eamus nunc, & miremur cœlibatum, qui æternam ſit generi noſtro cladem allaturus: circumuolat vndiq; mors, ruit, rapit, properat quantum poteſt genus noſtrum extinguere, & nos cœlibatum miramur, coniugium fugimus: niſi fortè placet Eſſenorum inſtitutum, aut Dulopolitarum, quorum genere facinoroſorum nunquam deficiens numeroſitas propagat. Hæc Coſmophilus, plenus timore, ne mundus propter cœlibes quàm ocyſsimè pereat.

Ego verò miror, eum hoc in loco non clamitaſſe, O, populares accurrite, ſuccurrite, & cæteras prophanas eiulationes, & ſuſpiria, quæ in comœdijs, aut tragœdijs ipſe vociferata legerat. Sed, o, Coſmophile, audi parumper, hoc te metu & anxietate facilè liberamus. Deſine

omnino metuere: non peribit cœlibatus vitio mundus, ſed potius quia ſpreto cœlibatu nimis fæcundus mundanos homines, & dignos exitio perferret; ideo peribit mundus. Quemadmodum enim tempore Noe, vt iam ſuperius oſtenſum eſt, quoniam omnis caro corruperat viam ſuam, omnis caro eſt deleta diluuio: ita ſub mũdi finem, vt Dominus prædixit; quia erunt homines edentes, & bibentes, & nuptui vacantes, igne vltore deſtruetur mundus.

Gen. 6. b. Ibid. 7. d. Luc. 17. f.

Dicet quis fortè pro Coſmophilo. Quid ſi omnes cœlibes fiant? Reſpondi iam, & iterum nunc reſpondeo. Quieſce. Iſtud quippe non euenturum Dominus ipſe teſtatus eſt. Non omnes, inquit, capiunt verbum iſtud. An poſt datum à Domino conſilium, ab innumeris receptum, & obſeruatum, animaduertit vllus mundo propterea ſuam hominum multitudinem defuiſſe? Nonne ſtetit mundus cum cœlibatu iam per tot ſæcula? Quid metuis nunc, ne deficiat? An putas Deum ob conſultum cœlibatum, connubijs ſuum fœtum ſubtraxiſſe, & hominum propagationem velle extinguere? Ergo ſile domino Deo tuo, nec finituri tandem mundi cauſæ patrocinare, qui habet authorem, cui eſt curæ, Coſmophile, abſq; te.

Matt. 19. b.

Quòd verò nos in gregem Eſſenorum, & Dulopolitarum non verearis proijcere, damus hoc

& procacitati tuæ, & impietati; qui quod eſt verè euangelicum, & christianum, tribuis ſtultitiæ hominum: ſicut & in tua Moria olim feciſti, in ſpiritum ipſum Dei peccans, reus factus æterni delicti. Sed vt tuo te gladio iugulemus, dic nobis, quæſo, in quonam grege te ipſum conſtituis? certè non maritorum, cũ nolueris vnquàm eſſe maritus: non cœlibum, & vt vis, Eſſenorum, quos tantopere vituperas. In quo ergo collocaris cœtu? ſi fortè mundo fructus generationis aliquos reddidiſti, certè uel adulterorum, vel ſtupratorum, uel quouis modo fornicatorum uixiſti ſocius. Audin tu, Aporetice? & hic tamen eſt hodie mundi doctor, & cenſor, & tibi ſanctiſsimi cœlibatus diſſuaſor.

Sed ut aliquando ſermoni finem imponam, quia modum epiſtolarem iam nimis excedit, in pauca totam cauſam iam contraham. Prouidendum enim eſt, ne huc rem tandem doleamus tendiſſe, ut qui iam ferè conſtitueras cœlibem agere uitam, nunc in deliberatione propter eos nutes, qui hoc uitæ genus uituperantes, ea tibi ante oculos proponunt, quæ primo aſpectu carni iucundiora, & gratiora uidentur, quæ Coſmophilus longo enarrauit ſermone. Tuum uerò eſt, ſi ſapis, neq; quod Coſmophilus de proprio ſenſu effutiuerit, neq; quid ego contra diſſeruerim probare temerè, & abſq; trutina & certo

examine, sed cui ipsa ueritas magis assistat, & apostolica tuba foris, & intus insonet, attentè, ac diligenter considerare. Veritas proculdubio Christus est. Ego, inquit ille, sum via ueritas, & uita. Attende ergo ad illum, & quid tibi suadeat cum facto, tum uerbo animaduerte. Etenim cum posset ipse ut homo, & matrimonio copulari, & cœlibem uitam agere, quid elegit? res ipsa clamat: nam primum elegisse, indecentiam primo auditu sonat angelis, & hominibus christianis intolerabilem.

Ioa. 14 a

At hic nobis obstrepit Cosmophilus, ut quod est clarum, satis obturbet. Plurima, inquit, sunt in Christo, quæ mirari potius, quàm imitari debemus. Quid in eo non supra naturam? Sint hæc illi propria: nos intra naturæ legem uiuentes, suspiciamus illa quæ supra naturam sunt, & quæ pro modulo nostro sunt, æmulemur.

Gratias hîc primùm ago Cosmophilo, quòd hic immemor sui, cœlibatum non pugnare cum natura inquit, sicut iam ipse secum pugnans superius nobis obijciebat: sed esse quiddam dignius, atq; excelsius, & utpote supra naturam admirandum, atq; suspiciendum. Iterum gratias illi agimus, quòd uel coactus, & inuitus confitetur connubium à cœlibatu dignitate atq; honore præcelli. Hoc tantum ait, non æmulandum. Id uerò quid ita? num propter sui excellentiam?

lentiam? At Paulus ait. AEmulamini chari- 1.Cor.12.d
ſmata meliora. An quia donum illud aſſequi
non poſſumus, ſed ſit Chriſti proprium? Hoc
ille uelle uidetur. At ſi ita eſt, quomodo donum
illud aſſecuti eſſent plurimi, & aſſequuntur? &
quomodo ad hoc ipſum, ſi à nobis impleri non
poſſet, inuitaremur a Domino? Sunt eunuchi, Matt.19.b.
inquit, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei,
ut ſuperius attulimus. Quis hoc in loco non mi-
retur perpetuam hominis impietatem? unum
Chriſtum in exemplum ponit, cuius ſunt facta
admiranda, non imitanda: ut illi ſoli prærroga-
tiua cœlibatus ſit reſeruanda, non autem ab ullo
alio amplectenda. At cur ipſemet uitam cœli-
bem alijs conſuluit, ſi à nemine poteſt obſeruari?
Et ſi enim plurima ſint Chriſto ſoli propria,
aquam in uinum mutare, panes multiplicare, ſu- Ioa.2.a.
per undas ambulare, cæcos illuminare, & de- Matt.14.b. Matt.14.c.
niq; mortuos ſuſcitare, & reliqua diuina opera Ioan.9.a.
facere: tamen in his, quæ ad uirtutum imitatio- Ioa.11.e.
nem ſpectant, illud poſſumus cum eius auxilio,
& debemus imitari: Diſcite a me, ait, quia mi- Matt.11.d.
tis ſum, & humilis corde. &: Exemplum dedi Ioa.13 b.
vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos
faciatis, & cætera huiuſmodi documenta.
Nonne illum imitabatur Apoſtolus? imo nonne
ſancti & beati adhuc in terris viuentes? Nonne
etiam in hoc eminenti cœlibatus ſtatu, sũt illum

imitati Beatissima illius mater, & Virgo, Ioannes Baptista, Euangelista, Apostoli, Euangelistæ, Sancti, & Sanctæ innumerabiles, quorum, quarunque gloriosas festiuitates celebrat Sancta mater Ecclesia catholica? At hic noster rhetorculus perinde loquitur, ac si nunquam de historijs sanctorum quicquàm aut legisset, vel audisset. Certè Breuiarium diuini officij, vt vocant, illum idoneè instruere potuisset, si illud recitauit vnquàm perfidus apostata: nisi velit ipsius quoquè vniuersalis, & catholicæ Ecclesiæ fidem, cultum, cæremonias, & priscas ab initio nascentis Ecclesiæ traditiones repudiare. Et Apostolus similiter ait. De virginibus consi-
1. Cor. 7. d. lium do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit uirgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco. Hæc Apostolus, imo per ipsum ipse
2. Cor. 13. a. Christus. Aiebat enim. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Hæc salutaria documenta contra uirus lætale, sæpius repetenda duxi quo tibi penitius in corde figantur. Quid hic enim contra Cosmophilus?

Num poteſt mutire? Num ualet hoc in loco hiſcere? Non opinor, etiam ſi maximè procax ſit, cum ſimul & ſe chriſtianum profiteatur. Nec habet, quod opponat, niſi generis ſomniatam immortalitatem, carneam puellæ pulchritudinem; quæ ſi cum pulchritudine mentis, & immortalis uirtutis conferatur, turpitudo, & marcedo quædam uideri poſsit.

Sed morata eſt: Quid illi deperit de ſuis moribus, ſi eam non duxeris? An non tibi potius deperibit de tuis, ſi duxeris: quia florem tuæ uirginitatis, & caſtitatis extingues, quæ nullo humano bono compenſari poteſt?

At cum ſumma dote tibi offertur. Sed quæ dos ulla maior, quàm illud uirginitatis immortale præmium, quàm noſtri aureolam uocant: cui ſi montes auri compares, ueluti ſtercora reputabuntur?

Thom. 4. ſent. diſt 49. art. 3. Petrus de Pal. & alij.

At hanc copulam deſiderant affines, propinqui, amici, ciues, deniq; Coſmophilus tui, ut fingit, amantiſsimus obſequioſiſsimus, fideliſsimus: ſed re uera hoſtis inſidioſiſsimus, & pernicioſiſsimus. O, ſi ſtylum ad ſuadendum melioris partis ſtatum ſuſcipiendum conuertere uoluiſſet, quanta uerè tibi & ſaluberrimo conſilio enumerare ualuiſſet, vxoriæ ſeruitutis incommoda, quibus recenſendis integrum uolumen uix ſufficeret. Sed quia te in decipulam per-

trahere moliebatur, subdolè omnia reticuit.

Ego autem imo non ego, Apotetice, sed Christus redemptor, & Dominus tuus, quod iam ex illo adduxi sedulo tibi prædicat, & cla-
Matt. 10. d mat in aurem. Inimici hominis domestici eius: qui si vehementer copulam istam carnis sua-deant, nō sunt præponendi uerioribus tuis amicis, sanctis Angelis & Dei seruis electis, & ipsi Christo, qui sunt tibi & pater, & mater, & fratres. Hi autem secus optant, tibiq; tantò maiore, ac fortiore necessitudine coniunguntur, quanto fortius est spiritus uinculum, quàm carnis: ij tibi prædicunt, & fidelissimo uei bo contestantur; operam, quam dabis uxori, si forsitan matrimonij nexu alligaberis, illam subtrahes Deo. Studebis enim coniux magna ex parte ijs, quæ uxori placeant, & eris non iam unus, sed
Luc. 10. g. duo: ut Martha Martha, quæ solicita erat, & turbabatur circa plurima. Sin autem cœlibem uitam delegeris, ijs totus incumbes, quæ placeant Deo, & uerbum Domini illud, magno tuo cum gaudio tunc intelliges: quia illud in te ipso experiens impleri senties, & à pijs, qui tibi gratulabuntur, tibi meritò applicari, Vnum est necessarium: Aporeticus meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Hîc finem sermoni facio, hîc quiesco; solùm admoneo, ut epistolas, & quæcunq; scripta istius perditi ho-

minis Cosmophili in posterum tāquam pestem teterrimam subterfugias. Recurras verò ad nostrorum sanctissimorum heroum lectionem purissimam Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, & cæterorum, qui te & de cœlibatu ipso proprijs opusculis, & de vera, & sempiterna salute fideliter instruant, vt minimè diuisus possis amabili libertate tuo Creatori cum puritate mentis, & corporis militare: & tandem illustri cum triumpho ad coronam gloriæ cœlestis feliciter peruenire. Et Dominus ipse Christus dignetur, quod tibi foris consulit, ita intus inspirare, vt nulla per te sit mora, quominus in votum patens, ac firmum transeat, quod iam mente conceptum erat, ac fermè deliberatum: ne Satan serpens diabolus per blandiloquum illum Cosmophilum te decipiat, sed ex Aporetico mihi πιθανός, vel πιστωθεὶς fias.

Vale.



FINIS.

NONNVLLA PER LAPSVM ERRATA, ita sunt corrigenda.

Pag. 21. versic. 1. inquies, reponen: inquiens.
Pag. 38. versic. 10. influxibus, dicen: influxus.
Ibid. versic. 19. sagingentur, legen: saginentur.
Pag. 49. versic. 19. erubescant, corrigen: erubescebant.



